


2 3 4 5 6 **M** 8 9 10 11 12 13 14 15 **B** 17



AN 9 0 m 10 1 2 3 4 5 6 7 8 9 0 m 20 1 2 3 4 5

Tajima 1級 JIS 4 JBA JQC N09 009



2) Vox doni in magicea. Et effacig ubi, ait P. Del
priet lud in vite, ad glorig miraculorū lud in magice
reu ex plerore, et decore, ut alia verior lent. De voc de
derunt Apotolica rubi, r no vintu, l et magicea ex pler
dunt in rubi. Vox doni in magicea, et evangelica p
caou vox, qua in vite fuit, qu effax ad expugnanda cord
hoiny fuit in magicea, idē, mofitata ē operando magna,
mirabilia, ingeria et rigra, et p digia, qd evangelica p
caou verita spata ē, ait in Marcu cap 16 de xii discipulis
Et a profeci p icaverunt ubiq; dono cooperate, et remonq;
sparte regnerib; rigru.

28 Hugo Carrali nomine magicea intat reoz, qua p d
ta fuere Apotoli, et apotolici p icator: ait n: vox doni in mag
ficea, idē, in p icado dedit reoz, qua magnificos facit: de
reca n, qua reiu verari in nio p raxa, et p rverda r
voce r poru nno magicea facere. Itat Hugo. Secretor p. Pura

voce r nno py py, qui Apotolo robore, et poa impo
atq; cy abieci antea eert magnificos reddidit. P. Al. carca
juicat, lud in magicea intat de admirabili vira eoz
p icas, Evangelij coniaty r no Evangelij p icatorq;, de
ad sem verior; unde ad eozq; rarchiu, et miranda vira r
fiooz voc in magicea referendq; ee dit. Qua expoioe bea
nodata in Apotoli.

2925 Vox doni p fringetu cedror, et p fringtoroz cedror liba
Dixim in expoioe pcedenti, id; significare iue dicat, vox doni p fr
getu, iue dicat vox doni p fringer, ut lent aliqui. dicit; sig; nax
quid pcedor iue in bonq;, iue in malq; p; significari poit; et qd
in pcedenti. Si in malq; p; accipiunt cedri. Secretor hic p rphor;
intat Idolorū eozior. Et, ait, idolorū delubra jan alta era
qua nil fructu collectib; aferbant; cedri libani hoc aila v
David, que cedri alia quid; r, rculent; vo fruct; ferrem in im
volent. Itac Secretor, cuius expoio va ē, im evoluant; hutor;
faile operet; vald; duram enardefica r inoou voc e

dicty e' ex parte procedenti, et manifestat unum, et explend et
magister, seu fulgor. Loquitur goavid sub metafora tonitru
trui de voce cori, sive evangelica p'caou. Hac vox dicitur
vult in vultu, q' dicitur a dicitur p'fecta erat, ab h'it as. vult
va vox vultu. Hac vox fuit in vultu, et in magister, ga
Car vox dederunt apostolica nubes. b, vox dederunt
rubes. Cui oportune sonat a dicitur s. b) dicitur: magister
vult, et vultu eum in vultu! Vox hary apostolica nubes
fuit debilis, in solo quieuit sonus, et fuit in vultu
vultu strepitus, ut e' multorum oratorum, et hary vox, dicitur
vultu, set valide, et potens in vultu sua essu recitata e'.
Hoc p'fecta verat a dicitur s. b) vultu dicitur: vultu
dicitur vultu evangelicantibus vultu multa. Qd exponens vultu.
vultu: vultu multa, id e', multa cy effacia, et liberte, ut
vultu vultu, et dicitur os dicitur eorum. Cui optime
vultu dicitur vultu dicitur vultu.

LITTERÆ
IAPONICÆ

ANNI M. DC. VI.

CHINENSES

ANNI M. DC. VI. & M. DC. VII.

Illæ à R. P. IOANNE RODRIGVEZ,
hæ à R. P. MATTHÆO RICCI,
Societatis IESU Sacerdotibus,

transmissæ

ad admodum R. P. CLAVDIUM AQUAVIVAM
eiusdem Societatis Præpositum Generalem,

Latinè redditæ

à Rhetoribus Collegij Soc. IESU Antuerpię.



ANTVERPIÆ,
EX OFFICINA PLANTINIANA,
Apud Viduam & Filios Io. Moreti,

M. DC. XI.

Imp^o 44430 lal

71.000,000.-

3
ADM O D V M REVERENDO
IN CHRISTO PATRI
P. FRANCISCO
FLERONTINO

*Societatis IESV per Belgium
Præposito Prouinciali.*



B EATVM se iactabat
Macedoniæ Rex
Philippus quòd cõ-
temporaneum Ari-
stoteli filium ha-
beret Alexandrum ; & ego non
publicâ patriæ voce proclamabo?
O fortunatam natam Societatis
IESV Patribus Antuerpiã! Alexan-
der Babylonio periturus veneno,
quid ab Aristotele magni accepit,
vt meritò diceret, Minus patri
debeo, à quo sum ; quã magistro,
à quo benè sum? Nos sanctissimis

4
æquè ac doctissimis moderatori-
bus nostris, quid non debeamus,
à quibus optimè sumus? Debe-
mus omnia; mentem, manum,
stylum: & nos, nostraque omnia,
religiosè addicimus, & A R A M
tangimus G R A T I T U D I N I S.
Te appellamus, caput Belgicæ
Societatis, F R A N C I S C E F L E-
R O N T I N E, in te membra tua
veneramur, sanctam in Impera-
tore veneramur Ignatianæ militiæ
legionem: hæret in oculis, hæret
in animis, quæ toto è R. V. vultu
erumpit Pietas, quoties ad Maria-
nam fodalitatem ex ore tuo cæli
delitiis pleno, melle dulcior fluit
oratio. fluit autem sæpissimè: &
sic teneros iuuenum imbuit ani-
mos, ut cum

*Sidonio coquitur murice lana
recens.*

Id nunc orbi, id æternitati testa-
tum imus; & has styli nostri pri-
mitias

mitias MEMORIÆ FLERONTI-
NIANÆ sacramus monumētum.
Et quidem ut animum ad scri-
bendum appelleremus, impulit
nos auorum atauorumque Rhe-
torum ad inclyti Collegij valuas
gloria, tot de subiugatâ Bata-
uiæ maledicentiâ fractos arcus
& sarissas,

Hastasq; captiuosq; currus

Exuuiis numerans opimis.

Testes VIRGÆ SCHLAFFIANÆ;
quarum plagis Bataui facti melio-
res, & imposito pede triumphans
Veritas, quæ VÆ VICTIS ingemi-
nando, gladiatorum Leydanico-
rum iugulo.

Capulo tenus abdidit enseni.

& humi stratos ita Terræ filios
terram mordere iussit, ut singul-
tum quidem non etiam vocem
edere possint. hoc est illud ma-
gnæ Rhetoricæ non degeneranti-
bus nepotibus immensum calcar,

A 3

quod

6
quod non minus nos ad scriben-
dum excitat, quàm ad pugnan-
dum Miltiadis trophæa Themi-
stoclem. Cùm verò ad stilo de-
certandum nobis hostes deessent,
non nos hostibus; tantùm non
plorauimus, quòd cùm omnia illi
Philippi expugnassent, nihil nobis
Alexandris palmarum reliquis-
sent:angebamur, cùm campus
deesset in quo nostra decurreret
industria. bonum factum; allatæ
sunt ad R. V^{am} dum Antuerpiæ
ageret, Litteræ Chinenses & Ia-
ponicæ ex Vrbe. sed eâ linguâ quæ
non extenditur vltra Alpes; &
tamen ibi sunt heroica Apostolicæ
Societatis facinora quæ Orbister-
rarum audire debeat & admirari:
eæ traditæ sunt nobis, distributo
à Præceptore penso, in Augusteã
locutionem transferendæ. Ita
R. V. visum fuit. & nos extre-
mum mandatum, quod abiens à
nobis

7
nobis ac nouissimùm valedicens,
R. V. dederat, fecimus, OBEDI-
VIMVS maioribus nostris, LI-
BENTER, REVERENTER, CE-
LERITER. Vtinam hæc tam grata
accidant, quàm grato animo, &
animos & corpora nostra Socie-
tati IESV consecramus, nō paribus
certè, attamē nō obliuiosis gratiis.

Deus R. V. diu Societati IESV
seruet, & nobis cum pietatis cor-
nu vberes fructus depluentem sæ-
pè sistat incolumem; nos auemus.

*Arida sic pluuio supplicat herba
Ioui.*

Antuerpiæ, Anno M. DC. XI.
Kal. Martij.

R. V.

in CHRISTO addictissimi

*S. P. Q. Rhetorici Antuerpiensium
publico nomine*

Iacobus de Cater Imperator.

R^{DIS} PATRIBVS
 SOCIETATIS IESV
 IN IAPONIA
 pro FIDE laborantibus
 Plausus.

Quid vaga pennatis mundi per deuia
 tonsis
 Fama volas? quid celsa animi conamina
 tanti,
 Pelleum mentita ducem, generosaq; Regis
 Bella canis, superisq; ardes succedere templis?
 Ille per inflatas Neptuni equitauerit vndas
 Ceruleasq; vias, & castigata proteruis
 Aequora turbinibus, sortis calcauerit iras,
 Vndantesque poli fluctus, calig; ruinas,
 Insanasque hiemes, dum fausto numine
 vincit
 Solis vtramque domum, belli que ingentibus
 ausis
 Signa triumphato circumfert inclyta mundo;
 Vana nimis! Quid enim totum memorata per
 orbem
 Gesta, leuesq; aquilas, & pila minantia
 pilis?

Parua

Parua canis: maiora refer: dic grandia IESV
 Vexilla, aethereis multum spectata trophæis:
 Iaponicis cane nota plagis, dic nota perustis
 Longinqui solis populis, caelestia IESV
 Signa: procellosi frenatrix inclyta ponti
 Gens ruit, & Bagadum ridens tormenta,
 cruentis
 Militat auspiciis, & nullo militat anro.
 Solus Amor, pretium, dux, hortatorque la-
 borum:
 Hic fluidas tentare vias, hic deuia ponti
 Suadet, & vndarum insultantes vndique
 montes:
 Ille, licet rabidas montis diffibulet iras
 Ventorum pincerna, iubet perfringere late
 AEquora, & insanas pelagi calcare procellas.
 Maeste animis, gens magna, nouis decorata
 triumphis,
 Et praedam venata nouam: gratare trophæis
 Digna tuis; non Pactoli tu ditis arenas
 Aue his auriferosque trabis de flumine fluctus:
 Currat ad extremos mercator sedulus Indos
 Predaturus agros, scrutaturusque potentis
 Viscera fulua soli, rubrasque petita per vndas
 Dona, & Erythreo duratum in littore rorem:
 Tu meliora petis, felici indagine circum
 Errantes venata animas: spolia ampla re-
 portas

A 5

Quando

Quando animas irretit Amor, quas cingere
suadent

Roboris heroi flammæ atque educere lustris.
O fera non fera gens, tam sanctos indue
casses,

Nam te felici victuram vulnere, celum
Poscit, & auratis sociandam destinat astris.
At tu, lecta cohors, Christi vestigia pressans,
Perge, inuitat ager, venare. en foeta petitas
In prædas crescit duplicato fœnore sylua;
Perge, nouas venando animas, venaris auiti
Patria regna soli, generose præmia mentis.

Iacobus de Cater Antuerpiensis
Rhetor.



LITTERÆ
IAPONICÆ
ANNI M. DC. VI.

De seculari statu Iaponiæ.



AD E M quâ anno ex-
acto perscriptum est
tranquillitate, eodem-
que Principe regna
hæc Iaponiæ, nullâ vel
leui obortâ mutatione,
hodie gubernantur, inusitatum sanè
prioribus temporibus factum. Quo
nomine non parum apud omnes
eius Principis sapientia moderandiq;
ratio commendatur; quòd & ob æta-
tem, & egregium generosi ducis no-
men, quod est apud suos assecutus,
ita se gerat cum omnibus, vt non modò
eos in pace contineat tràquillitateque,
sed eâ insuper veneratione, quâ tantum
haberi Principem par est, conseruet:
adeò vt nullus existat toto regno ita
præceps, qui in arctam illam coniu-

Verte-
bat Fer-
dinan-
dus del
Plano.

ctionem, quidpiam tam inter suos quàm in Cubo, (quo nomine hodie vtitur) audeat machinari. Et verò is, quâ est in moderando cautelâ, stabi- liendæ magis magisque istius necessi- tudinis, centum (vt aliàs indicatum est) rationes excogitauit. Illa verò inter ceteras minima non est; quando cum nobilissimis Iaponiæ dynastis affini- ratem iunxit, quo nullâ rebellionis suspicione, dum viuit, Tenca potiatur, post mortem verò in posteritatem et- iam deriuat, quæ illi meta omnium planè machinationum est ac finis. Ita- que sibi persuadens, ad id obtinendum magni referre, regna Quanto egregiè munire, quorû iam inde à temporibus Taico Rex euaserat; in oppido Giendo, dictorum regnorum capite (in regno Musasci sito, & Meaco itinere die- rum xii. distito) pænè in finibus Ia- poniae, Orientem versus, munionem aliaque ad resistendum castella, extrui fecit. Ciuitatem ipsam etiam muro denso fortiq; circumuallauit: idque Iaponiæ dynastarum expensâ, qui à Cubo inuitati, cum subditis singuli ad laborem, à Februario mense ad Augu-
stum

stum & Septembrem, se contulerunt; sedulitate tantâ, vt ad trecenta opera- rum millia perpetuò censerentur, quæ à Cubo nihil præter orizæ pauxillum in cibum quandoque accipiebant. Il- lud hîc admiratione dignum fuit, co- natu præsertim adeò difficili, tantarum expensarum, tot inter operas militesq; (quos isthic promptos esse decuit, vt si quid tumultus derepentè, vt fit, ori- retur, armis occurrerent) nullam alicu- ius momenti dissensionem extitisse. Tanta fuit eius in præoccupandis tu- multibus industria, qui facilè tamen in tantâ hominum varietate, assuetâ dissidiis, amatrice rerum turbatarum, solent euenire.

*De statu rerum Christianarum
Iaponiæ.*

QUOD vniuersim de Christianis dici potest horum regnorum; fermè idem cum eo est quod anni præ- cedentis litteris scripsimus, eâdem in pace eos ad hunc vsque diem conser- uante Domino. Oborta quidem Meaci tempestas quædam est, sed ad incre- mentum fidei à Deo permessa: est au-
tem

*Verte-
bat Fer-
dinan-
dus del
Plano
Antuer-
piensis.*

tem eiusmodi: Defunctâ prope Meacû
 dominâ quadâ Christianâ Magdalena
 nomine, præcipue inter suos nobilita-
 tis, & perantiquæ; filiâ D. Marię Quo-
 goqui (de qua sæpiùs scriptum est, ut-
 pote magni nominis heroinâ multisq;
 Christianis adornatâ virtutibus) sorore
 verò duorum regni Iaponię Procerum,
 ac cognati matris Fideion, filij Taico;
 voluit eius maritus vir gentis, uti
 Bonzij eam infidelium ritu, moreque
 maiorum sepelirent, pompaque tantâ,
 quantâ & familiæ nobilitas, suaque
 quâ adhuc fungeretur dignitas, expo-
 stularet. Verùm ubi Marię generi sui
 animus innotuit, enimverò mox tantâ
 eum inde dicendi vi rationumque mo-
 mentis auocare cœpit, ut tandem à fo-
 cru persuasus, pollicitus sit, eam se, uti
 semper exstiterat, Christianorum more
 efferri permissurum. Ergo exequiæ
 factæ, nouo in templo, paucos ante
 dies, à nostris absoluto, Meaci, tanto
 apparatu, populi que concursu, ac si in
 Iaponiâ recens inusitatumque fuisset.
 Hic Bonzij irritati, tam sanctis religio-
 sisque ritibus suam minui æstimatio-
 nem, & (quod eos vrgebat maximè)
 lucro

lucro priuari se; in nos furere, parare
 querelas, Cubo deferendas, in trans-
 gressores legum suarum; quòd gentiles
 externis sacris initiarent; se, quietis
 amantes perturbarent; liberiùs etiam
 in sectas Iaponicas inueherentur: sed,
 quòd differre accusationem, ob absen-
 tiam Cubo, qui tû Quanto incolebat,
 compulsi sint; licitum non fuit ita ma-
 turè ac cupissent, capitale, quo nos
 prosequuntur, odium euomere: mox
 verò ubi ad regiam suam ordinariam
 Fuscimensem reuersus est, Bonzij tantâ
 incitatione officium suum peregerunt,
 rem exaggerando pluribus; populi nu-
 merum, qui ad exequias confluxisset;
 apparatus etiam verbis mendacibus
 adaugendo, ut Cubo tanto faciliùs ex-
 arserit, quanto in religionem nostram,
 naturâ suâ, malè affectus est atque
 propensus. Igitur verba tum in nos
 prolocutus est indignatione plenissi-
 ma. post verò, à Conzuchedono, Regi
 apprimè charo, & rerum nostrarum
 omni tempore insigni patrono, mitiga-
 tus; deferuescente iam bile, nobis se
 exhibuit faciliorem; satis gnarus, luce
 restitutâ, Bonziorum accusationem,
 non

non aliunde quàm ex odio processisse. Hac sedatâ tempestate, grauior etiam subsequuta est, auctore nimirum Bonzii grauiore: hæc fuit Fideiori mater, defunctæ Magdalenæ maximè affinis, tantoque Christianis magis infensa, quanto maiori veneratione est in Cami & Fotoques: hæc igitur, intellectis Patrum & Christianorum, quas affini suæ exsoluerant, exequiis, à Bonziis (vti creditur) instigata, apud Cubo querelas tam seriò deposuit, his vt compulsus sit gubernator Ozacæ (vbi hæc debebat) mandare, vt in portis dictæ solùm vrbis sequens edictum publicè proponeretur:

Audito, à multis Christianam religionem esse susceptam, egrè tulit S. M. edictum nuper aduersus huiusmodi consilia vulgatum ita parum habuisse auctoritatis: Quare denuò mandat, vt examussim seruetur omnia, quæ priore edicto fuerant constituta; vtque Nobiles in hoc incumbant, ne qui Christianam fidem amplectantur: quo & denouandâ Religione desinant homines cogitare; & qui mutauerint, eorum exemplo rursus execrentur.

Non

Non potuit non incutere quemdam metum Christianis Ozacensibus hoc edictum, & nostris simul, qui isthic erant, vnâ etiam omnibus qui in Scimo, vbi euulgatum longius est. Sed Dei gratia non is fuit qui alicuius momenti mutationem in fidelibus excitaret, vt moliebantur aduersarij. Gentiles ipsi rem parui fecere; memores id factum dumtaxat, vt in illius dominæ voluntatem descenderet Cubo: quin ipsa loquendi forma in edicto (admodum diuersa isti quâ in absoluto imperio vti est solitus) id ipsum satis declarabat. Tamen vt hæc res animos aduersariis augent; eos verò, qui fauere nobis desiderant, languidos reddunt atque inertes; & quod caput est, prioris voluntatis à catechesi auertunt; tanto à maioribus odio haberi animaduertentes, pro eo ac debuit, magnam nobis molestiam attulit & acerbiter.

Has inter tempestates, Fides Christiana Meaci, eâdem quâ primùm veneratione cultuque stetit, & verò maiore in despectum aduersariorum suorum & contumeliam. Tantumdem dico

dico de regnis omnibus in quibus Christianos habemus, propterea quod non modò Procerum, quamuis gentiliū, in nos beneuolentia conseruata est; aut etiam nullatenus conuersione ethnicorum impeditā, verūm singularibus nobis exhibitis officiis insuper declararunt, quantopere eis arideat subditorum suorum ad religionem nostram conuersio. Quapropter in oppido Ianagaua (quod regni Sicugo caput est, & aulæ sedes) nouam, vt vocāt, Residentiam, erigere necessum fuit: alij dynastæ prætereā malè in fidem nostram propensi, vbi animaduertēre, quantā humanitate quantisque officiis Christiani à tantis Proceribus culti sint, eam persequi desierunt: adeò vt fructus, quem diuina bonitas per Societatem nostrā, hac in vineā operata est, exstiterit eiusmodi, vt septem hominū millia nongenti quinquaginta, hoc anno, & plures etiam, Baptisma susceperint. Quod non parui faciet is, qui impedimenta, & difficultates quas nobis iniicit cæca hæc gentilitas, diligentius expendet.

Non parum adhæc contulit hūic
Ecclē-

Ecclēsiæ, & animos Christianis addidit, in medio nationis præuæ, R^{mus} Iaponiæ Episcopus, suā ad Regem Cubo excursionē in hunc annū maiori eiusdem Ecclēsiæ bono reiectā. quo anno, cūm eius perficiundæ esset occasio oblata, re Domino commendatā, iter aggredi Reuerendissimus statuit, propterea quod iam commodè satis suam in Iaponiā sedem stabilisset, ac maiori libertate in posterum Pastoris in suas oues officium esset exerciturus. Igitur facultate impetratā, Iciani, Regis Cubo familiarissimi operā, qui ob contractam cum R^{mo} familiaritatem, dum nuper Nangasachi probè gubernatoris officio fungeretur, sese illi impetraturū addixerat; R^{mus} longo satis spatio, nostris, & præcipuis Nangasachenis Christianis comitatus, Regiam versus itinere marino contēditi Vicinior Ozace factus (quod 13. vel 14. dierum itinere hinc abest) & à nostris, & Christianis summā amoris significatione acceptus est; itū obuiam scaphis per flumen est, cui Ozaca adiacet mille passibus distita. Biduo hīc distentus est curiæ responsum præstolatus, quæ in Fusci-
mo

moerat, dici itinere ab Ozacâ remota, eodem flumine viam præbente. Interim vbi R^{mi} aduentus in aulâ percrebuit, Proceres quidam quibus Rex vtitur perfamiliariter, miserunt, qui suo ei nomine gratularentur; idemque Ician, qui negotium susceperat, nauem flumine submisit, aliam à matinis; optimè instructam domesticorum suorum numero aliisque necessariis Iaponum more. In eam ingressus Episcopus, rectâ Meacum properat; vnoque adhuc milliario ab vrbe distans, à præcipuis eius loci Christianis exceptus, non sine donis, more patriæ, perhonorificè est. Posterâ luce iisdem comitatus Christianis ad nos venit, tantâ omnium & nostrorum & Meacensium Christianorum voluptate & gaudio, quantum sibi quisque tali in re potest proponere. Vbi tempus visitandi aduenit, Meaco R^{mus} (quod Fuscimao paulo ampliùs milliario abest) magno comitantium numero discessit, & ex ædibus nostris Fuscimi, statuto tandem die, sublatus veluti in sedem, gentis more, ad palatium abiit: vbi à Cubo magnâ amoris significatione acceptus est;

est; qui nequaquam permisit, ad maiorem eius venerationem, vt sede quâ portabatur, exscenderet, priusquam ad certum locum (in quo ad hunc diem nemo Iaponiæ Procerum adhuc visus est) peruenisset.

Alij eodem tempore eandemque ob causam: in palatium venerant viri nobiles: sed is primùm admitti R^{num} voluit, eo honore, quo dictum est; qui solis exhiberi consuevit proximis affinis magni Dairi Regis naturalis Iaponiæ, qui que tantus habetur atque exhiberi cuiquam possit. Sereno vultu Rex habituque (quo vti tantùm consuevit in actionibus solemnibus & publicis) declarauit sibi esse multo gratissimam eius visitationem, ac gratias egit, quòd tanto suo incommodo tantum iter confecisset. Quare in maiorem amoris significationem præcipuis quibusdam suæ aulæ Proceribus imperauit, vt palatium illi suum comonstrarent, munitionemque Fuscimensem; simul palatium Meacense, cum templis eius oppidi primariis, ceterisque quæ digna visu æstimari possent. Vt paucis complectar, tam felicem

cem habuit exitum hæc visitatio, vt nihil in sermonibus passim totâ Regiâ, nihil foris in locis etiam remotioribus, tum Ethnici, tum Christiani aliud vsurparent, quàm honores, præter consuetudinem, à Cubo, R^{mo} exhibitos.

Post hæc visitauit alios Principes, Regi Cubo maximè coniunctos; à quibus tantâ est etiam humanitate acceptus honoreque, vt Conzuchedono sigillatim & Meacensis Gubernator Itaguradono (vterque nobilitate & Regis Cubo fauore conspicuus nostrisque deditus) R^{mo} significarint, se Religionis Christianæ totâ Iaponiæ ditione protectores deinceps fore, curam insuper Ecclesiarum, fideliumq; Meacensium, aliorumque Iaponiæ locorum suscepturos.

Interea dum Fuscimi moratur R^{mus} visitarunt eum plerique Christiani, qui huc è locis remotioribus aduecti; & Confirmationis sacramento roborati, aliisque donati à R^{mo} sacris munusculis, in patriam, magnâ suâ gratulatione reuerterunt. Tandem, supremùm salutato Cubo, & aliis aulæ Principibus, magnâ beneuolentiæ significatione, ite-

iteratisque muneribus, Nangasachum, vnde venerat, regressus est. Sileo, toto itinere, Christianorum suo Pastori exhibitas gratulationes: esset enim prolixus nimium, etsi magni exempli, quo eum complectebantur, affectus; & quâ fruebantur ob eius cōspectum, lætitia singularis ac voluptas. Id solum dicam, vbi animaduertit Nangaeca Ieciudono, regni Bugensis dominus (de quo scriptum aliàs est) Reuerendissimum in reditu Nangasachum versus, per Cocuram, suæ ditionis oppidum, iter facere debere (qui etsi gentilis, ita tamen in Christianam religionem propensus vt illi plurimum faueat; nostros in suâ ditione tolerando, Ecclesias, & quoslibet è suis Christianos factos, permittendo) eum voluerit in suo oppido retinere, vt absolutam cum eo necessitudinem cōtraheret: vnde multi eius operâ toto itinere constituti, qui, vbi ad locum designatum aduentasset R^{mus}, se redderent certiores. Coactus igitur est R^{mus} Cocuram diuertere, vbi singularem domini Ieciudono fauorem est expertus, & beneuolentiâ tantâ venerationeque habitus, vt in
Prin-

Principe ethnico, & magnanimo ob antiquam sui generis nobilitatem dignitatemque, quâ ceteros antecellit, incredibile videatur. In R^m regressu, postquam baptizatos plerosque, sed nondum Confirmationis sacramento munitos, eodem corroborasset; sese ei obtulit Iecuidono Christianorum omnium defensore, obtestatus se ut Christiano uteretur, cum se in animo esse, quamquam nondum esset salutari aquâ ablutus. Hisce aliisque amoris significationibus & huius regni fideles summâ fuerant voluptate affecti, & R^m optimâ spe plenus, futurum breui sperat, ut multum propagatâ fide Catholicâ, inter hosce gentiles Ecclesia aliquando efflorescat; itaque Nangasachum remensus est iter.

Attulit quoque fructum ingentem Christianis, non solum regni Bugensis, sed etiam Cicugensis, P. Vice-provincialis in Facatam (quod huius regni caput est) profectio: nam noui templi dedicatione solemniter peractâ, Christianis passim confluentibus, non solum eius regni, sed etiam regni Cicugo, Bungoque, & exequiarum Simeonis

nis Iosui (magni nominis in Iaponiâ viri vulgoque Christiani) persoluto ritu, quas singularis Christianorum feruor, & gentilium ingens numerus exornant; tanti motus animorum sunt facti, ut magnum inde emolumentum, diuinamque gloriam non vulgarem expectemus. & quod Facata, paulo plus vnius diei itinere, abest à Cocurâ; ne hanc quidem opportunitatem, de Euangelio nostrisque benè merendi, prætermisit Iecuidono: aduentu enim P. Vice-provincialis in Facatam cognito, misit qui orarent, ut quando ita propinquus esset, Cocuram etiam excurreret. Cùm non posset tam beneuolum animum reiicere P. Vice-provincialis, tandem itineri commisit se, ac tantâ fuit humanitate tum à Christianis, tum ab ipso Iecuidono exceptus, nihil ut suprâ esse posset. Et re verâ, planè extitit eius animus omni in re singularis, cùm nostros omnes in conuiuium adhibendo, tum ad mensam nostram frugaliorem aduentando. Inter cetera, Ecclesiæ Catholicæ ritibus laudandis (propter insignem, quam iis contineri sentiebat, sanctimoniam,

grauitatem ac decorum) expleri non poterat. Ergo sacro, quod postea faciebat, P. Vice-prouincialis ad fidelium consolationem, solemnitate quâ potuit maximâ, multis Christianis, qui se summo feruore præpararant, communicantibus, adhiberi voluit. In quo, ad suos qui aderant, conuersus Iecuidono, Perpendite, inquit, & cõsiderate attentius sacra Christianorum; quanto interuallo Bonziorum nostrorum ministeriis antecellant; quantus ornamentorum nitor, quanta grauitas, & ministrantium pietas ac feruor: vt sola hæc conclusio (Religionem igitur tam sanctam, veramque omnes amplectamur) ad rei perfectionem deesset.

Post dies aliquot, Cocurâ relictâ, P. Vice-prouincialis ad Christianos Archizuchenos visitandos abiit; cui loco Simeonis (quem dixi) frater Soimondono præest: tantamque ex P. Vice-prouincialis sociorumque aduentu hausit voluptatem, quantam in optimo Christiano, vti is est, conicere possumus.

Hic ergo, pari quâ Cocuræ solemnitate, diuina officia celebrata sunt: confessi,

fessi, & sacrâ Cõmunionem resecti multis; ceteris prælucente Soimondono, & optimâ eius coniuge nobilissimaque. Neque minùs consolati Christiani relictis sunt, quàm animati omnes, ad persecutionum procellas, quæ suboriri possent, nonnumquam fortiter perferendas; vt P. Vice-prouincialis, tantâ pietate (vnde breuî multa sperare liceat) exultâs Nangasachû reuerterit.

De communi statu Societatis in Iaponiâ.

NOstri, pro Societatis instituto, per varia terrarum lapsi, herbescentem Domini vineam, copiosis perennium aquarum fontibus, numero 124. irrigarunt; placuitque diuinæ bonitati omnibus vitam cum sanitate integram conseruare, si duos exceperis. Prior fuit P. Zacharias Campioni, patriâ Placentinus, qui ætatis annum 35. Societatis verò 16. ingressus, postquam Macai per annos aliquot Theologiam professus esset, aliaque Societatis munia diligentissimè obiussit, tandem in Iaponiam appulit; vbi post tres de viginti dies rebus humanis exemptus fuit,

Verte-
bat
David
Haex
Antuer-
pienses.

iamque (vt speramus) dignis pro suo labore præmiis apud superos perfruitur. Eius certè amissio incredibili mœrore atque luctu nostrorum animos omnium perturbauit. Posterior fuit P. Alexander Valignanus, qui Macai ex hisce sæculi fluctibus, ad beatissimum & securissimum portum 20. Ianuar. 1606. appulsus est.

Longum foret notissimas totâ Indiâ, Iaponiâ, & Chinâ, tanti viri virtutes recensere. Hoc solùm dico, non mediocri nos dolore confici, cum tam sollicitum, tam beneuolum Patrem, fato nobis ereptum esse recordamur; qui iure optimo Iaponum & Chinarum Apostolus appellari posset. Fuit enim in eo tam singularis Barbarorum omnium conuertendorum ardor, vt nihil aliud mente ac cogitatione volueret, quàm quomodo religionem fidemque in hisce partibus quàm longissimè propagaret. Argumento est eius in submitendis operariis diligentia; in extruendis collegiis & seminariis cura; studium in litterarum gymnasiis excitandis. Tanta denique in illius administratione virtus enituit; tam intentis

ocu-

oculis omnis Societatis & Christianæ Reipub. partes intuebatur, vt nihil, quod ad eius propagationem pertineret, prætermisisset eum existimemus. Numquam illum vel regionum longinquitas, vel itinerum difficultas, periculorumque multitudo potuerunt frangere: dixisset hominem non defatigari laboribus, sed recreari; incommoda non fugere, sed appetere; ita diuina virtus, nec ad suscipiendos labores audaciam, nec ad prosequendos perficiendosque constantiam abesse patiebatur.

Macaum è Iaponiâ reuersus erat, eo animo, vt primâ verni temporis clementiâ, in Chinas vltiores traiceret, & sedes nostrorum ibidem visiteret, ac lassos sociorum in missione versantium animos inflammaret, neophytosque Christianæ fidei excitaret. Iamque à præcipuis Mandarinis eos fines visitandi facultatem acceperat, cum ecco inopinatus viri immortalitate digni obitus, spem tantam Christiani nominis, in quantam à multis sæculis Christiana Respubl. non fuerat excitata, quasi turbine venti difflatam penitus

dissi-

dissipavit, & tam sanctum viri propo-
 situm intercidit; quod nec 60. anno-
 rum ætas, nec aduersa valetudo quâ
 tenebatur, nec molesta gubernationis
 onera impedire potuerunt. Vnde nul-
 lus, neque externus neque domesticus,
 adeò ferreus aut saxeus repertus est,
 qui tam atroci tamque infesto casu,
 tam tristi & insperato optimi Rectoris
 discessu, non totis visceribus commo-
 ueretur. Omnes reliqui Societatis ope-
 rarij, fauente Deo, diligenter rem suam
 gesserunt, tam conuocandis ad Christi-
 ouile cæcis gentilibus, quàm diuino
 spiritu in fidelium animis excitando,
 qui à pristino feruore & vitâ Christia-
 no homine dignâ recesserant. Vt autem
 abundantius & copiosius hunc fru-
 ctum colligeremus, vnusquisque no-
 strum meditationibus spiritualibus,
 alijsq; rationibus, quæ Societati in vsu
 sunt, enisus est, vt nouo spiritu, maio-
 riq; feruore, in salutem proximorum
 incumberet: quod ea quæ subiungam,
 clariùs commonstrabunt.

Colle-

Collegium Nangasachi.

Quinquaginta Societatis homines ^{verte-}
 in hoc Collegio, ac variis sedibus ^{bat Ia-}
 commorati sunt, quorum omnis assi- ^{cobus}
 duè in Christianæ religionis fideique ^{vã Geel}
 cultu desudabat industria. Nec deerat ^{Hoogh-}
 maxima frugum optimarum copia & ^{strata-}
 vbertas: vitiorum namque omnium ^{nus.}
 extirpatis radicibus, Christianorum
 virtutes quasi quædam mandata semi-
 na indies surgebant, & maturitatem
 assecutæ suam, vberrimos pietatis vi-
 tæque Christianæ fructus afferebant.
 Gentiles, qui vndique huc confluunt
 mercaturæ cum Lusitanis exercendæ
 causâ, vitam Christianorum auitæ suæ
 religioni videntes conformem, alij,
 cum non modicâ in pietatem propen-
 sione, ad sua redierunt; alij, diuino illu-
 minati spiritu, caligantis mentis aciem
 ad veræ fidei lucem amplectendam,
 damnatis errorum suorum tenebris,
 aperuerunt: 1318. ad fidei veritatem
 sunt traducti. Certum est tamen ad
 hæc maximè profecisse sodalitium
 Misericordiæ: quippe quod in pijs
 operibus, cum corpori, tum animo

impensis, ita floreat, vt per omnem Iaponiam suauissimum pietate suâ odorem dispergat. Neque illo sanè inferius Nosocomium fuit, quod nullo ei virtutum genere concedere voluit. Prætermitto plurimos salutari consilio, ac corporis subsidio, ad melioris vitæ desideria exarsisse; plurimos depositis odiis, ab animorum seiunctione rediisse in gratiam; alios sublatis peccâdi illecebris honestiorem exorsos vitam, moresque ad viuendi normam conformasse meliorem: prætereo insuper summam Natalitiis ac Pascharis feriis in confessione ac communione frequentiam: transeo maximos, per 40. inediae sacrae dies, ad conciones factos conuentus; copiosos etiam concursus totâ hebdomadâ sanctâ, ac potissimum sextâ Feriâ, ad subeundos ritè ambitus supplicationum: omitto deinde complures è remotissimis locis nullâ regionum longinquitate perterritos, nullis itinerum difficultatibus debilitatos, ipsis laboribus animosiores, vnâ conscientie expiandæ causâ huc properasse, vt media animis sauciis salutaria compararent. Adhæc alij cum considera-

rent

rent in quanto animi salus inter idolatras versaretur discrimine, gloriosi patriæ suæ exules Nangasachi hæserunt, vt maiori loci libertate, licet summâ rerum omnium inopiâ, Deo vacarent. Prætereo, inquam, hæc omnia; quis enim tantam rerum magnitudinem se comprehensurum sperauerit? Suffecerit, ex abundanti copiâ, vnum seligere certissimum in his Christianis virtutum argumentum. Super ceteros, qui superioribus annis, ob fidem, è regno Fingo recesserant, vna, virtutum splendore illustrior, Marina nomine, cum coniuge ac totâ familiâ, quidquid fortunarum in hoc regno possideret, aspernata; aliarum opum diuitiarumque cælestium spe, vnâ cum reliquis Nangasachum appulerat. Hic dum defuncto coniuge, in duarum tantum filiarum societate, vidua relinqueretur, totam se pietati consecrauit. Cogitationes actionesque eò omnes dirigebat, vt se Deo indies commendaret magis, & rei sacrae piorumque librorum auditione (cùm legendi ignara esset) animum suum pasceret, oblectaretque. Frequens est in confitendo ac commu-

nicando : totam denique se religiosæ vitæ exercitiis tradit ; perpetuisque laboribus ad perfectionis culmen tendens, ita in virtutum omnium studium incumbit, vt in dies maximum, non sine omnium admiratione, earum acquirat incrementum. Inter hæc, vbi tanto suo aliorumque profectu sacris vacat actionibus, en tibi eam, subitâ morbi vi correptam, in extremum vitæ discrimen adduci. morti igitur proxima, sex nimirum, septemve ante eam dierum decursu, vberimâ à Deo consolatione perfunditur, adeoque certam salutis præsumpsit fiduciam, vt quamuis absque aliorum auxilio, lecto affixa, mouere se frustra conaretur; ita tamen, cælestis gratiæ spiritu animus corroboraretur interiùs, vt in corpus etiam eius lætitia, ad stuporem intuentium, redundaret. Ingrauescenti indies morbo, media inter mortis impetus, & vitæ elanguentis ludibrium, ad extremum subeundum certamē vnctionis Sacramento armatur. Igitur vnus è nostris eò se contulit; cui, post amicam salutationem illa, prorumpente in verba animi lætitiâ, respondit: O quantâ tranquilli-

quillitate, quantâ serenitate perfruor! Quæ Dei benignitas omnem morbi cruciatum, omnes dolorum acerbitates ita lenit ac mitigat? Vnde tãta mihi profecta est gratia? Tantam de salute mens concipit securitatem, vt vix gestientis animi capiam gaudium, vix habeam fidem! Ad imaginem Crucifixi conuersa non cessabat à gratiarum actione, illud sepiùs ingeminans: Vnde Marinæ tantum boni? Vnde Marinæ tantum boni? Quæ toto hoc temporis spatio gaudia, quæ vociferationes fuerunt? quæ animi exultantis lætitia? Nec alia vox erat in ore, quàm plena gratiarum, quas Dei misericordiæ ob tanta beneficia tantumque in se fauorem referebat. Iamque desperatâ valetudine, continuò Dei euocantis expectabat imperium. Quadam nocte, dum vna filiarum vigilaret, & domesticos reliquos diuturnis vigiliis laboribusque grauatos altior somnus oppressisset, insolito ignis fulgore cubiculum colucere ei visum est: & ecce, è vestigio, adsunt cælites duo Ioânes & Iosephus; eoque gaudio, quod facilè animo quis comprehendat, optatissimum adferunt

nuntium; æternis eam voluptatibus, ipso Deo, inquam, esse citò fruituram.

Igitur ad crucem conuersa, vnde ei tanta promanabat felicitas, reliquum noctis plenis suauitate & affectu colloquiis, cum Seruatore suo, cuius cruci erat affixa imago, transegit; hoc vnum semper repetens: Quando Domine hæc promerui? Vnde Marinæ hæc felicitas? Et subinde duos hos cælites, familiarissimè, vti præsentem compellabat. Illustri iam die, filia, quæ neutrum horum, quibuscum mater sermones contulerat, aspexerat; oblatâ vani spectaculi specie agitatum fuisse rata, an fortè phrenesis coëgisset cum iis sermones conferre, qui præsentem non fuerant, sciscitatur. Minimè verò, subiungit mater; sed, si te, donec vixero, silètio tecturam promiseris, rem, vti gesta est, memorabo. Affirmanti spondentiq; filiæ, imaginem noctu acceptam indicat, atque omnem rei seriem ante oculos deducit; asserens, se eâ nocte, tantorum Seruatoris sui in se meritorum memoriâ, grati animi significationes maximas, Diuis illis præsentibus, cōmonstrasse. Et sanè, non leue veritatis argu-

argumentum in hac re fuit, quòd ita deinde animo in cælum erecta, ita toto diuino Numini coniuncta affectu fuit, vt visitata à piis iuxta ac religiosis hominibus, & vt moris est, interrogata, cuius curæ patrem grandæuum, filiasq; quas tenerrimo amoris affectu fuerat amplexa, committeret? Diuinæ, respondit, prouidentia; in cuius tutela ac sinu tuti securiq; acquiescent. Ne etiam animi tranquillitas, aliquo naturalis in suos affectus motu, turbaretur, in conspectum suum passa est adduci neminem. Ita libera, ex hoc vitæ carcere, immortalitatis consecutura brauium, euolauit.

Missiones nostrorum ex occulto instituta Firandum (Tonus enim Christiano nomini infensissimus in perpetuum Ecclesiæ odium iurarat) non exiguam incolis peperere vtilitatem: qui licet neminem Societatis nostræ, neque templum vllum, ob Toni odium, habeant; Deo iuuante, constantes perstant tamè, nec à virtute vitæque Christianâ degenerât. In mediâ quoque gentilitate, triginta sacro Baptismatis fonte sunt expiati: non maximâ Toni rabie,

non eius acerbissimo in Patres Societatis odio perterriti; quos nullâ ratione ad suâ ditionem accedere patitur. Hoc, cum aliàs frequenter, tum hoc anno vel certissimè comprobavit. Conuehebant vnum è sociis ad confessionis beneficium, ac summâ mutux cum Tono amicitix fiduciâ, in terram exscenderunt; & in conspectu omnium, ad solitum se officium receperunt. Hoc confestim vulgato nuntio, Tonum, rei, vt videbatur, indignitas vehementer excuit. Non paucas igitur in Lusitanos contumelias eructat, conuitiisq; foedissimis infectatur; quòd nullâ factâ potestate, huc Societatis Patrem adduxissent. hospiti, vt eum sine cunctatione, domo eiiciat, ac Nangasachum releget, imperat; nisi iussis morem gerat, ipsum vltima esse passurum denuntiat. Nec his contentus, mandat, vt milites, si imperium suum negligi, aut hospitem Patri retinendo studere comperiant, vtrumq; trucident. Discedit ergo Pater inspectantibus omnibus, mox turbatae rei, nouo inuento vt sperabat, consulturus; mentito habitu, sub noctem incognitus, reuerti cogitat.

Sed

Sed neque profuit salutare consilium. Excubias ad ripam, ne traiceret, Tonus disposuerat. Coactus itaque Pater, Nangasachum se confert. At postea maiori rem aggressus cautelâ, Firandum se recipit: confessiones Lusitanorum, qui in naui aderant, excepit, eosq; & alios Firandenses cœlesti deinde Eucharistix pabulo confirmavit. Nec obstabat omnis à Dæmonum satellitibus, in tanto bono oppugnando, adhibita solertia. Alium prorsus, Tonus Goto, homo licet & ipse gentilis, se exhibuit Patri nostro, qui ad eas insulas missionem adornarat. Quippe, qui summâ beneuolentiâ, eum non excepit solùm, verùm baptizandi, catechizandi, cōfessiones audiendi, quidquid deniq; ad consolationem horum Christianorum necessarium foret, exequendi, plenissimam ei fecit potestatem.

Vt maximam in confessione ac comunione frequentiam, aliaque ad diuini numinis obsequium gesta complura, tacitus præteream; supra sexaginta sacris vndis sunt abluti, aliiq; quàm plurimi eodem desiderio audissimè tenentur.

De

*De residentiâ Fucafori, Conga, & Isafay,
Focani & Vcimi.*

*Verte-
bat A-
drianus
Moens
Antuer-
piensis.*

HÆ Patrum nostrorum sedes Col-
legio Nangasacheno subiiciun-
tur: seminata in his agris Catholicorū
religio non impares Nangasachenz
fertilitati fructus producit: quippe ex
horum Christianorum culturâ, sancto-
rumque exercitiorum irrigatione, fe-
cundo admodum autumno turgescit,
& inauditus his regionibus Catholicæ
fidei splendor de infidelitatis tenebris
quotidie triumphans magis magisque
resplendescere videtur: qui porrò tan-
to numero adaugetur, vt trecenti hoc
anno à Catholica veritate persuasi, er-
rorem suum deposuerint, & ad Eccle-
siæ societatem sese receperint; factâ
etiam spe, multos fore, qui gentilitatis
tramite declinato, eorum breuî vesti-
gia sectabuntur. Ceterùm terrarum
Conga, Focani, & Vcimi messem, Fuca-
fori atque Isafay maturitas, fructibus
fertioribus antecellit; quæ territoria
tametsi à Principibus gētilibus guber-
nentur, incolās tamen Christianā do-
ctrinā imbui permisere. Quare Deo
auxi-

auxiliante Euangelij veritatem nō me-
diocriter confidimus amplificatum iri.
Quin & ipse Fucafori dominus (vir
nobilis, & Principi de Figen consan-
guineus) suscipiendi Baptismatis ardo-
re compulsus, palàm omnibus signifi-
cat, sibi gratissimum fore, si primo quo-
que tempore in sanctam Christianæ
religionis societatem nomina sua dare
maturent. Quo animi sui in Christia-
nos indicio, caelestem sese dominum,
terrestri; temporali, æternum; Tencæ
administratori, Christum; Diuorum
denique fauorem, popularibus auris
anteponere declarauit. Quamobrem
oblatâ Christianos tuendi causâ, neque
officij neque vitæ discrimen vllum,
neque seueram Principis inhibitionem
extimescit: quod non infirmo sanè te-
stimonio, hic quem narrabo, confir-
mat euentus.

Rumor ad Figeni Reguli aures per-
uaferat, plurimos Fucafori incolas, re-
pudiatâ idolorum veneratione, sacris
Christianæ religionis mysteriis esse
initiatos; iamque per omnem Tencam,
eius sese rei famam diffudisse. Ille ira-
tus, hac viâ, rogationum à se, & Iapo-
niæ

niæ Monarchâ, in Christianos promulgatarum æstimationem ad contemptum decidere; Fucatoridono præcipit, ut è vestigio Christianos, ad pristinum deos colendi morem, seuero imperio reducat: sed is, ut erat animo difficultatibus semper obluetante, non minùs quàm Christiano par erat, hoc mandato interritus, se Apostolicæ Sedi obsequentem esse, plurimosque suæ conditionis in eâdem sententiâ intrepidè permansuros, profitetur; idque Rege etiam non insciente factum esse: initio enim, cum eâ de re animi penderet, eum se consilij causâ adiiisse; accepisseque, quia exiguus esset Fucatori tractus, cuius pro arbitrio baptizari fas esse. Quæ cum ita se haberent, non fore ex honore suo, (cui semper in primis consulendum est) si contrarium nunc, priori Regis edicto, decretum euulgetur. Quamobrem rogare se, ut iræ parcat, si minùs hac in re sese obsequentem esset præstiturus. Imperterritum immoti animi responsum, lauream duplicem reportauit; conciliato enim plebis fauore, prona ad eius causam principis voluntas accessit. Quis maiorem,

iorem, non dico, à tirone, sed veterano & emerito iam legis Christianæ milite, constantiam requireret, cum in Iaponiâ audiet consuetudinem inualuisse, ut, qui Paganismo renūtiat, vitæ fortunarumque simul amissione multetur? diuinæ utinam arrideat prouidentia, tam egregium studij erga Christianos indicium, cælesti aliquando munere compensare, facereque ut acceptâ Euangelij luce oblatam expectati Baptismatis occasionem ac diuini Numinis gloriam tandem arripiat!

Inter fructus quos huius anni collecta seges in Christianæ religionis agro copiosissimo produxit, fuit non infimæ conditionis matrona; quæ marito licet neophyto coniuncta, tamen in infidelitatis tenebris hætenus errauerat; aded excæcata, ut oleum camino adderet, peruicaciamque faminae magis obfirmaret, qui Baptismi irrigatione, eius insatiabilem, quo gentilitatem complectebatur, ardorem extinguere conaretur. Sed dum alienæ à Catholicâ religione voluntatis persistit, siue nouo foetu grauidam se esse causata, siue corrupta etiam animi immoti re-

ctaque

Etæque consilia respicientis duritie, siue diuinâ prouidentia quæ eam hac ratione ad ouile suum reducere decreuerat, grauissimâ infirmitate corripitur. Pater Societatis nostræ non aliam occasionem aptiorem futuram ratus, indurescenti in proposito suo mulieri saniora suadendi, gradumque illius adeundæ sibi fieri arbitratus, denūtiat pristinam ei peruicaciam deponendam esse; serioque iam in faucibus Orci constitutæ, de animi salute esse deliberandum. Illa pertinaciùs in errore persistens, tenebrisque infernalibus excæcata, saniora consilia aspernatur; causata se, quòd multâ prole abundaret, fœtus in utero adhuc existentis necem cogitasse, quare non ante partum Baptismate expiandam. Quæ infidelitatis retinendæ causa, à rectâ ratione abhorrens, & sanæ mentis auribus indigna, Patris sollicitudinem in se conuerterat, ut per alios tam obstinatæ nequitia imaginatio expelleretur. Sed aquam è pumice postulare, & in saxis bona consilia seminare videbatur. Nam velut hydra abscissis capitibus fecundior, sic illa ex monitionum frequentatione pertinacior

racior euadit. Hoc viso, Pater, non minùs quàm par erat, permotus, eam adire constitui: diuinaque manu adlaborante, tantâ verborum vi, veritatem Catholicam ei persuasit; ut ex duritie mollicies, ex pertinaciâ prona ad religionem Christianam inclinatio pareretur. Ergo non à destinato scelere solum auocata est, sed Baptismo etiam lustrata: fuitque tam pertinacis famine conuersio, cur è domesticis eius complures ad Christianam militiam ascripti sint, præcipuum hortamentum. Huic non absimile est illud de anuquadam, quæ cum marito octuagenario sanctè firmiterque idolis affirmauerat, gentilismo se indormituram: sed in ultimo vitæ articulo deprehensam monentibus Christianis, etiam affinibus, & meliorem vitæ frugem consulentibus, eò tandem perducta est, ut felicem salutaria consilia exitum sortirentur; licet alter coniunx, profundo infidelitatis immersus, iusiurandum uxori in memoriam reducendo, auribus eius admodum grauis esset, eamque enatantem rursus in imum gentilissimi gurgitem deturbare moliretur.

Abundè

Abundè igitur fidei documentis instructa, edoctaque potentiorum inimicorum acerbitate, Christi bonitatem esse, atque apud eum, non tantum alienæ crudelitati, quantum clementiæ suæ licere, cum sedecim aliis summâ suorum exultatione baptizatur: post triduum mortali vitæ conditione in immortalitatem commutatâ, piorum (vt speramus) æternam sedem & locum adeptura emigravit.

Anum hanc altera item anus similis ætate, similior mox fide, subsecuta est. Initio in errore obfirmata, maiorum suorum fidem sese retenturam asserabat. Quamobrem salutare adhortationes ab amicis aliisque Christianis sibi propositas surdâ aure respuebat. Ad ultimum inuisenti eam Patri, quidque ei in vitâ charissimum foret, requireretur; illa, ubi animus post mortem foret, se laborare respondebat. Cui Pater: Hæc ipsa mihi potissima te visendi ratio est; quare tranquillitatem desideranti, sermones eam docentium non repudiare necessum est. Clausæ erant aures, animo obstrepente: cumque ab eâ tranquillitatis obtinendæ ratione (quam

osten-

ostenderat Pater) abhorreret; surdam se esse, eoque catechismum percipere non posse, dictitabat. Cui arieti Pater alterum opponit, & idoli impotentiam cum fidei Catholicæ firmitate componens, in unicâ Christianorum lege sitam animæ salutem declarat, multoque deinde de Baptismate suscipiêdo, consumpto sermone Pater domo excessit: quem, vti ob recentem Catholicæ religionis nouitatem, audire diutius fœmina recusauerat; ita postquam mentis aciem studiosius intedit, pertinacia in molliciem vertit. Animo ecce occurrebant suscepti itineris labores, mouebat longinqua regionum distantia, impellebat vnica humanæ salutis sollicitudo, quæ Patrem ad se visendam adduxerat; idque fortissimum sinceræ veritatis pignus habebat, omnes eius sermones animæ salutem tantum consulere, probisque argumentis, idoli diuinitate reiectâ, fidei Christianæ veritatem confirmare. Horum cogitatio subibat animum, seditiosæque procelle mentem agitabant: queis illa haud sanè leuiter mota, satis sciens occasionem oblatam seriò comprehendendam esse,

esse, diuinâ ope, se totam tanto ardore dedidit, vt solâ hac ratione conuicta, Catholicorum legem cælo delapsam esse fateretur. Deo igitur vocanti morem gerens, sine cunctatione Patrem reuocat; asseritque se saniora consilia audire, Baptismate lustrari, Catechismum non audire solùm, sed & opere exsequi, omnino desiderare. Hæc de neophytis in hisce sedibus commorantibus. Reliqua de aliis, eorumdem locorum Christianis, quæ maioris momenti videbantur.

Cùm Christiana quædam morborû aduersitate vrgeretur, & intellectus caligine offusus dissona à ratione verba eam proferre cogeret, consanguinei aliam fæminam, cum quâ olim habuerat similitudinem, corpus ægræ ingressam esse arbitrabantur: placuit coniecturæ suspicio, & fæminam, quam ægræ corpus inuasisse credebant, itinere decem leucarum distantem, qui mitigarent, missi sunt; quæ cùm malorum ignara esset, quod responsum dederit, quisque mente facillè imaginabitur. decepta igitur euentu coniectura est; sed certiore (vt autumabant) malo mede-

medelam adhibuere. Bonzius accersitus, precibus cum dæmone cõmunicatis, ægram tormentis iis se liberaturum pollicitus, variis execrationum formulis, ita nempe mulierem persanauit, vt stultitiam (quod execrabilius est) furor & insania sequerentur: quamobrem domestici, qui ægram in se rabie lymphaticâ sæuituram timebant, adhibitis custodiis seruandam tradiderunt. Rumor ad Christianorum aures peruenit, rei que cognitio commiserationem attulit magnam: hinc vnus è nostris à Catholicis accersitus infirmam inuisit. Ille dum limen tentat, subitò ad mentem mulier regreditur, animæque maculas exomologesi deterget. Enimuerò, ea postmodum in pristinam relabente insaniam (dæmonis, vt arbitrabantur, opitulatione) Pater Christianis imaginem Fûdatoris nostri Ignatij tradidit, vt ante eam prouoluti, Ignatij preces apud Deum pro ægrâ exposcerent: quâ subitò ecce conualescente, pios conatus felicissimus non delusit euentus. Ipsius miraculi æstimatio, in recentium etiam Christianorum gentiliumque plurimorum animis, maio-

rem fidei Christianæ opinionem exci-
tauit: quidam enim primo flore iuuetæ
pubescens, sacrisque religionis nostræ
mysteriis initiatus, à dæmonis insidiis
circumuentus, ob nouam quamdam
cum fratre similitudinem, manus sibi ad-
ferre cogitarat: sceleris atrocitatem,
æterni exitij sollicitudo inhibebat; qui-
bus curis distentum pestifero inspira-
tionum veneno dæmon aggreditur,
homicidio sacrilegium adiungēdi con-
siliū mercato velamine obtegens:
nempe vt prius confessionis pharmaco
peccatorum labi medeatur (speciosus
sanè facinoris titulus) deinde spectāte
fratre sibi ventrē adaperiat, his quippe
scalis in cælos rectum patere iter. O præ-
clarū consultorē dæmonem! Exceçatus
iuuenis mendaciorum parenti fidem
habens, die quadam ab ædibus procul
remotus, è nostris vnum inquit, pro-
nasque confessioni suæ aures dari pre-
catur. Patefacto igitur animi proposito,
Pater enormitatem homicidij & sacri-
legij vix capere tandem potuit; quem
adolescens, vbi alienæ à suis desideriis
voluntatis esse cognouit, stimulo tenta-
tionum compulsus, pueri impatientis
more

more lacrymatus est: durâ tamen ri-
gidaque ceruice obnixus fratris fami-
liaritatem, Patrisque consilia repudiavit.
Rogatur tandem, vt in octo dies faci-
nus prorogetur; quibus singulis, inter-
missum longo temporum interuallo
rosarium, clementissimæ supplicum
clientum patronæ Mariæ, veluti penso
annumeret, finitaque comperendina-
tione de eodem negotio discussurus
regrediatur. Coronam ergo assiduo
studio voluere inchoauit, clientemque
Patrona minimè deseruit. Necdum
constituti temporis dies occubuerant,
cùm Patrem domum suam transeun-
tem, in vestibulo excipit iuuenis, ore
ad risum composito, magnæ lætitiæ
notas præferens, atque in eius com-
plexum currens. Pater inuicem mu-
tuâ gratulatione defunctus, an consi-
lium executus esset, requirebat; cui
iuuenis aperit, quos legendo rosario
fecerit fructus: quidquid nempe ira-
rum in pectore conceperat, sedati ani-
mi tranquillitate esse mitigatum, seque
(vt sitibundus ceruus ad flumē sæpius
poturus recurrit) velle confessionis
remedio iterum saucium animum in-
staurare.

itaurare . cuius Sacramenti frequen-
tandi cupiditatem, legendique rosarij
morem in omni deinde retinuit vitâ.
Non defuere in hisce stationibus no-
stris generosa eorum exempla, qui
fidei conseruationem integritatemque,
facultatum suarum amplissimis pos-
sessionibus prætulere. Vnum vobis in
medium prolatum, reliquorum argu-
mentum existat.

In ædibus viri nobilis, dum abesse
cogitur, indigna quædam domus æsti-
matione, gesta erant. qui rerum verita-
tem, iam redux, laborans extorquere,
inueterato gentilium more, mancipia
ad iusiurandum dirasque execrationes
adegit; quod item fieri exoptulabat à
famulo quodam Christiano: hic rerum
domino absente gestarum ignarus, &
Catholicâ religione imbutus, iuramē-
tum se præstiturum negat: nihil tamen
adolescens, quantumcumque inno-
centiam obtenderet suam, apud homi-
nem barbarum effecit. Iterum ergo ad
facinus ab hero compellitur; tum verò
Christianæ legi aduersari barbarum
illum iurandi ritum liquidò affirma-
bat: vicissim dominus, nisi sacrum
Bapti-

Baptisma eiuraret, domo suâ abeun-
dum ei esse pronuntiat. Prudens ergo
Christianus ab itum iuramento, Deum
totius orbis Monarcham Iaponis pri-
uati hominis obsequio anteponit, tu-
tiusque inter Christianos domicilium
fixit, animo suo melius consulturus.
Mirandum itaque non est, si simili fru-
ctuum fecunditate recens Christianæ
religionis cumulata initia, latius dif-
fundantur indies, nouaque diuersis in
locis templa constituentur.

Collegium Arimense.

IN hoc Collegio, locisque ei subiectis ^{Verte-}
fuerunt Societatis homines 35. qui se ^{bat Con-}
rotos & talenta sua in animorum auxi- ^{rardus}
lium salutemque sedulo impenderunt; ita ^{Tuche-}
ut in dies inter Christianos maior pie- ^{us Ant-}
tas animorumque; lucrandorum ardor emi- ^{uerpie-}
cuerit: quod satis superque declarauit ^{sis.}
templorum Sacramentorumque infre-
quenter frequentatio. Præiuit suos effica-
cissimo exemplo Dominus Ioannes
Arimadono, cum Dominâ Iustâ vxore
suâ. Nec minus fuit copiosi ex hac Ec-
clesiâ prouentus indicium, recipiendi
Chrismatis desiderium planè admi-

randum, quod Reuerendissimus Episcopus in Taquacu (nomen hoc commune est omni terræ Arimadonensi) administravit; ad quod suscipiendum, fideles se præviâ confessione præpararunt, vt non nisi piè optimeque dispositi ad hoc Sacramentum accederent. Cōfirmata sunt itaque his locis circiter septemdecim hominum millia. E quibus non pauci maximo salutis æternæ impetu & desiderio ferebantur: nonnulli è peccati sordibus sese erigentes, & fornicationis turpitudinem auersati, ad proprias vxores redierunt; alij inueteratorum odiorum inimicitias similitatesque execrati, charitatem quam exuerant induerunt: ita vt Deo iuuante tota hæc Ecclesia Reuerendissimi visitatione, huiusque Sacramenti administratione, multū fuerit recreata. Tempora ventorum & tempestatum iniuriis præterito anno multum afflicta, aut funditus etiam deiecta, publico sumptu reparata, nouaque constituta. Plurimi aliunde, & è vicinis urbibus confluentes in Taquacum transmigrarunt; ibidemque fixis domiciliis, sanctissimo Baptismatis Sacramento sunt initiati.

tiati. Verum hæc generatim sufficiant. Ad singula magisque particularia descendamus.

Inter complures fæminas, quæ partus periculis per B. Patrem Ignatium ereptæ sunt, vna fuit, quæ iam triduo mortuam prolem viuo vteri sepulchro tumultatam gerebat. In summum igitur vitæ discrimen adductæ, offertur imago B. Ignatii, subitoque mulier motum sensit inopinatum. Cumque imago periclitanti propius admoueretur, egræ cepit sanitatem suam ei commendare, & ecce absque morâ effundit prolem iam pridem mortuam partu tam insolito, vt circumstantes & matrem simul interiisse existimarent. Verum precibus meritisque B. Patris (vt illa postmodum confitebatur) incolumis, non sine omnium stupore & admiratione, vtpote miraculo defixorum, euasit. Voluit enim Christus, qui quatridentum Lazarum ad viuos Marthæ precibus reuocarat, intercedente Ignatio, triduo & iam putente fætu matrem liberare. Huius itaque tam inaudite rei, aliarumque similitum fama, maiori in dies populum in B. Patrem pietate

& affectu incendit. Est & alius euentus nihilominus admirandus, quamuis in re parum diuersâ, quem habuit mulier insignis iuxta ac pia, cui Claræ nomen; quæ cum tantis morborum difficultatibus luctata est, vt tertio die velut victa deiectaque, nescio quo modo, sensibus destitueretur; iamque circumstantes pro mortuâ eam haberent, Quia tamen repentinum mortis genus & insolitum videbatur, ne morienti faminx defuisse crederentur, recreare eam, & fouere, tantâ diligentia quanta in huiusmodi euentu requiritur, contenderunt; at frustra, cum sibi non tantum non restitueretur Clara, sed nec vllum superstitis vitæ signum, nec minimum reliqui spiritus vestigium relinqueret. Obiisse ergo eam rati, iam de exequiis & sepulchrali pompâ meditari incipiunt affines; intentisque in præparâdo funere omnibus, post quinque horarum spatium, adstantium summâ admiratione, ecce sibi Clara redonatur. Illa vultu attonitæ similis, suam ad inferos deductionem, animarumque quas viderat cruciatus inmanissimos atrocissimosque, non sine pro-

promanantis sudoris ingenti copiâ, præsentibus cœpit memorare.

Vidi (inquebat) in terribili illo ardentique Inferorum specu dispositos lebetes subiectis ignibus bullientes, in quibus numerosæ animæ miserrimè habebantur coquebanturque; nec longè flumen aquæ glacie constrictum aberat, in quod post intolerabiles ardores subitaneo gelu cruciandæ mergebantur: ex quo ereptæ, denuò in vndantes ollas ab intolerabili frigore, momento temporis ad extremos calores sufferendos deturbabantur. Addebat insuper, vidisse se & alias vmbas laceratas crudeliter, quæ suorum criminum (ob quæ tantis vexabantur suppliciis) culpas deplorabant: quas inter fuisse vnam assererat, quâ in hac vitâ familiariter vsam se olim meminisset, iam æternis cruciatibus adiudicatam, quod prolem dum vtero gestaret, errecasset; nec tantum tamque crudele facinus præuiâ confessione ante obitum eluisset. & sanè non aliter quàm narrarat, hanc se rem habuisse postmodum compertum est; narratione cum vero per omnia respondente. Plurimorum

morum deinde quos in vitâ nouerat
 tormenta, culpasque simul, ob quas
 perierant, recensebat. Quæ cum in
 mentem recordationemque incideret,
 aut aliis Clara explicaret, vberri-
 mos toto corpore sudoris riuos præ horrore
 effundebat. Referebat præterea, cum
 tristia hæc loca satis lustrasset, aliò se
 plusquam ad Cymmerias tenebras
 fuisse abductam, vbi flebiles vmbra-
 rum questus audiebantur; cumque
 omnino neminem conspiceret, plan-
 ctus tamen hosce, *Ora pro nobis*, lugu-
 bri sono crebrius se hausisse, vnde il-
 lum purgatorij ignis esse locum, certò
 arbitrabatur. Denique cum cœptum
 perficeret iter, in planiciem amplissi-
 mam tapetibus ita exornatam, vt ex
 gemmarum conspiranti lumine oculi
 pænè excæarentur, se tandem venisse
 dicebat: vbi cum sederet percussa,
 perrexit tamen, propiusque accedens,
 augustum sanè limen auro argentoque
 fulgidum, funalibus per gradus miro
 ordine collucentibus adspexit; locum
 circum vndique puelli gratiosissimi,
 qui officium recitabant, obsederant;
 è quibus cum vnum agnouisset, qui
 quinto

quinto ætatis anno rebus humanis iam
 primùm excefferat, puero locutura
 ad gradus se propius tulit: quos cum
 ascēderet, tres obuios sacerdotali habitu
 succinctos habuit, qui ex ductore pue-
 ro, quænam hæc esset, sciscitati, locum
 illum impuris sordidisque vmbri-
 ingredi nefas esse responderunt. Inter-
 eà dum Clara sibi restituitur, euanuit
 visa species: quam constantissimâ nar-
 ratione sepius recensuit postea; veram-
 que fuisse, non vanam somni morbive
 ludētis imaginem, commutata deinde
 in melius morum vitæque ratio de-
 monstrauit: quippe pristinae consuetu-
 dinis relictâ libertate, maior in dies
 fæminæ virtus pietasque euasit.

Præteritis aliquoties litteris, Isabellæ
 viduæ Mimasacadono, & Iacobi La-
 cuiemon filij eius, in fide generosam
 constantiam indicauimus. Hæc à gen-
 tilibus ad barbariem nequidquam sæ-
 pius allecta, tam fortis aduersus inimi-
 corum sollicitationes perstitit; vt ite-
 ratâ creberrimè confessionis & Com-
 munionis frequentatione, de violentis
 barbarorum tentationibus, gloriosam
 victoriam triumphumque reportarit.

Sed cùm inter hæc pugnas voluntaria se inedia ac vigiliarum molestia multùm attriuisset, qua erat corpusculi imbecillitate, inorbū sibi grauem collegit. In aduersam igitur valetudinem lapsa, lentā paulatim tabe consumebatur. Vitæ itaque finem sibi iam instare præsentens, cùm heredes piis magis exemplis & Christianæ pietatis fideique thesauris quàm Indicis opibus ditare vellet; Iacobum maximum natu filium, qui iam ætatis decimum quintum annum excefferat, ad se vocari iubet. (erat is itineri accinctus, vt Fuscum versuscū Facata de Sasuma, cuius seruitio erat dedicatus, proficisceretur, præcisâ spe omni de matre nunquam reuisendâ) hortatur adolescentem vt in fide stabilis constansque permaneat, in quâ & pater obierat, & mater mori desiderabat. Imperat, Deo rerum omnium creatori ex animo seruiat, debitos illi honores persoluat, & in eius se potiùs seruitio, quàm terrenorum Regum, occupari patiatur. Nec præceptis his contenta filij imbuisse animum, sæpiùs expendens illud,

Quo

Quo semel est imbuta recens, seruabit odorem

Testa diu;

alium iuueni post mortem suam tutorem admonitoremque relinquendum existimans, nobilem ei Christianū pietate iuxta ac moribus illustrem, itineris comitem assignat. Tum domestici famuli, maximam absente illo familiæ iacturam imminere tandem clamitabant: sed paruum eis esse rei temporalis detrimentum, respondit Isabella, si cum eo componeretur dispendio, quod in Christianâ fide sibi filius consciuisset, nullum comitem admittendo qui eum exemplo suo & verbis ad virtutē excitaret; quare iacturam se, immò & ruinam domus, vnius filij integritati salutique posthabere. Magnâ igitur cùm patientiæ tum submissionis notâ, incumbentis morbi molestias pro more perferens, diuinæque voluntati se planè conformans, nullis aliis se negotiis, quàm quæ ad salutem animæ maioremque perfectionem facerent, occupabat, de cælesti gloriâ pia sæpiùs colloquia miscens. Nec minores natu filios, extremâ allocutione,

C 7

cutione,

curione benedictioneque defraudandos rata, eos ad se ocyus accersiri imperavit; presentibusque, Quod vobis (inquit) filioli mei tabulis vltimis velut præstantissimum thesaurum assignandum habeo, est commonitio hæc extrema mea; vt numquam in omni vitâ Cami & Fotochi ficta numina, sed Deum vnicum verumque decenti cultu & pietate adoretis, illiusque semper præceptorum memores, ne ad latum quidem vnguem ab his deflectatis. Quod verò caput est omnium; sincerè moneo, obtestorque, vt seu aspirante seu aduersante fortuna, neu Regiis muneribus, neu vllis minarum procellis, vinqum à fidei complexu vos seiungi auelli que patiamini. Quæ tanto cum animi affectu & feruore protulit, vt ad lacrymas filios, ad pietatem circumstantes, summopere inflammaret. Benedictione postmodum filiis impertitâ, sanctissimo crucis signo munitos ab se dimisit. Seruos deinde tres rei domesticæ intentos, ad se adduci præcipit; adductisque non sine vberrimis lacrymis eandem fidem commendans, maximo pietatis ardore inflammatos

missos

missos fecit. Sed quod admirandum fuit, domesticorum negotiorum nullâ factâ mentione, ad vltimam vsque vitæ horam de rebus cælestibus differebat: quam cum attigisset proximè, reliquorum Sacramentorum præsidio munita, extremam Vnctionem instanter postulavit; eamque vt maiori cum reuerentiâ demissioneque susciperet, quantum potuit, semiuiuum corpus erexit, iunctisque decenter manibus, piè vulgarem confessionis formulam pronuntiauit, mediæque horæ traducto spatio, compos adhuc animi, vitæ finem imposuit, tantâ cum securitate, vt in somnum potiùs resoluta, quàm extincta videretur. Speramus à Deo euocatam, ita placidè, vt maximè eius in fide constantiæ, aliisque admirandis in fæminâ virtutibus præmium copiosum æternumque decernat.

Similem prorsus exitum, nec infeliciorum domina Maria, primæ vxoris Arimadono mater, sortita fuit: quæ cum Arimensibus virtutum suarum exemplo, Christianisque omnibus, rarâ pietate semper præluxerit, operæ pretium fecerimus, si magna quædam

paucis

paucis de tantâ fæminâ memoremus. Atque vt à cunis eius nobilitatem arcessamus, oriunda est Tono præcipuo Regni Figen, nupsitque fratri maximo Arimadoni heredi domus Arimæ: post cuius obitum, vidui lecti consuetudinem amplexa, vnâ cum filiâ aliquot post annos Sacramentum baptismi tanta pietate suscepit, vt maiorem in dies spiritualium rerum fecerit progressum; nec quidquam tamen, de exacto regimine Arimadonensium, constans semper fæmina, remiserit; Imperium simul sæculare tam rectè Christianis moribus coniungens, vt tantam in fæminâ solertiam mirari non satis possimus. Ita orationibus erat addicta, vt præter certas horas, precum exercitio dedicatas, noctis etiam maximam partem, in piâ commentatione poneret; cumque ad lectum se pro consuetudine recepissent domestici omnes, ipsa adhuc precibus seram noctem trahebat. E quibus tantam fortitudinem, tam liquidas hausit voluptates, vt ad illas semper, velut ad tutum in tempestatibus portum, certumque in periculis confugeret leuamen.

uamen. Et quemadmodum orationis feruor cum corporis spontaneâ afflictione cruciatuque vulgo coniungitur, in his quoque partibus exemplum suum non est passa ab ullo, desiderari: vt in fæminâ, inter aulæ delicias enutritâ, rebusque mundanis ad trigessimum quintum annum (quo primùm Baptismum receperat) intricatâ, tantum pietatis omnimodaque virtutis studium omnes summâ obseruatione colerent venerationeque. Crebrius per annum ita sese flagro diuerberabat, vt toto penitus corpore vberimos sanguinis riuos diffunderet. Nec tamen hebdomadarias verberationum vices intermittebat: cilicio familiariter utebatur: abstinentiæ tam erat singularis, vt in hac admirandam potiùs, quàm imitandam censeamus; quippe quæ totum annum sacræ inedia ritu (quem quadraginta obseruamus dies) putaret esse traducendum. Id iam quatuor & ampliùs annos obseruarat, vt quotidie seuerâ inediâ corpus maceraret; ac tribus potissimùm in septimanâ diebus tam parco utebatur cibo, vt vix fieri posse crederemus, tanta

tanta cum frugalitate vitam sustentare. Illud ei peculiare erat, Veneris diebus, ad passionis memoriam, sale obsoniis- que sale conditis (quod Iaponensibus maximæ est afflictioni) penitus abstinere; si verò statos inedia dies necessariò omittere cogeretur, aliis nouisque eos afflictionibus pensabat. Congruentibus cum abstinentiâ parcissimus somnus, quem in vestibulis communiter capiebat, ut rebellem spiritui corpus subiiceret. Et quamuis in alienorum hominum societate, grauitatem dignitati suæ conuenientem præ se ferret, domesticis nihilominus maximo demissionis & paupertatis exemplo prælucebat. Nihil humile, nihil vile, abiectumque detrectabat; domum scopis purgabat frequens; pannosas lacerasque mendicantium vestes ipsa sarciebat, pauperibus seruebat libens. Otium verò quo dæmon animos labefactare solet, usque adeò declinabat, ut piis semper sese negotiis occuparet. Et quo meliore prudentiâ eleemosynas aliaque bona opera occultaret, summo nisu contēdebat. Et, quem à confessionibus habebat, tantâ cum promptitudine & obe-

obedientiâ obtemperabat, ut ad ipsius se planè voluntatē conformaret, etiam in iis rebus, quæ cum negarentur, videbantur tamen concedi posse; qualia fuerunt crebra confessionis & Communionis (quam vnicè expetebat) frequentatio, aliaque non minùs pia. Sed nimirum in bonis iuxta atque aliis rebus, dicto audiens illi esse voluit Maria, quem in terris Dei loco sumpserat, ut in spiritali viâ hoc ductore vteretur. Adeò parui vilique res omnes mundanas faciebat, ut in vili sordidaque casâ sæpiùs latere desideraret, quò Dei seruitio se plenius accommodaret. Petiit summopere à Tono, ut omnes, quos habebat annuos census, sibi subtraheret. Sed placuit Deo intereà, dum responsum præstolatur, tantam pietatem, in alterâ (ut speramus) vitâ remunerari: ipsâ etiam passionis magnâ hebdomadâ, cum usque ad sanguinem se diuerberando grauitèr fatigasset, afflictionibus, vigiliisque (totâ autem nocte, quæ feriam sextam maioris hebdomadæ præcedit, in oratione perduraauerat, ut semper pridie quàm communicaret erat assueta) grauissimum sibi mor-

morbum comparauit. Præsentens igitur se morti iam vicinam, Extremam vñctionem petiit: quam cum piè suscepisset, familiaribusq; munuscula quædam spiritualia distribuisset, ad extremum se agonem summâ cum corporis tum animi tranquillitate felicissimè expediuit, vt satis circumstantibus declararet, quantâ fiduciâ esset æternæ vitæ impetrandæ. Piis deinde precibus parumper iteratis, erectis in cælum oculis, suauiterque paulatim reclusis, leniter expirauit, anno ætatis sexagesimo secundo, conuersionis vigesimo septimo: fuit eius mors, multorum cum suspirijs tum lacrymis lugubriter complorata, inuidentibus piè qui adstabant tantam morienti fæminæ felicitatem & euthanasiam.

De Residentiis Aria, Scimabara, Cingina, Saigo, & Canzusa.

Vertebat Hieronymus van Seurck Antuerpiensis.

SI quis ex hisce Residentiis, nostrorum studio, fructuum vberissimo collectam messem generali cōmemoratione prosequatur; sese Collegij Arimensis imaginem intueri arbitretur. Itaque ne rei eiusdem frequens enar-

enarratio fastidium pariat, ad singularia quædam descendo.

Quidam ex honestioribus, cum Baptismi lustrationem exoptaret, immemor exigui Fotoco, qui cultu haud sanè mediocri perpolitus, splendidoque inuolucro tectus è collo eius pendeat, Christianis sacris initiatur. At hominem, relictâ iam inanum deorum superstitione, ad Christum aggregatum, tanti primâ à Baptismo nocte motus occuparunt, vt non modò sese numquam oculis eius somnus obtulerit, sed ne lecti quidem ipsius mollities vlli fuerit tranquillitati. Tandem diuino inflatu admonetur, vt Fotoco, quem apud se habebat, protinus abiiceret: exilit è lecto, facturus imperiû; cû ecce, in medio cubili, iacentem Fotoco deprehendit, quem collo se adhuc gerere suspensum arbitrabatur. Rei nouæ stupore attonitus, secum asportans Fotoco, vnum è nostris adiit: qui de rei totius fortunâ euentuque certior factus, pro supersticioso munere sacrâ eum coronâ numismateque donauit; vt iis instructus animus pristinum securitatis habitum recuperaret.

Abic-

Abierat fama in vulgus, Christiani defuncti animū (si eum animum fuisse, non dæmonem, in fidem cadat) sæpe-
numerò ad hunc orbem remigrare, totamque domum suam frequentiori motu infestam reddere. Verus is rumor fuit: sed defuncti gener, eadem perturbatione, quâ maximâ torquebatur, conflictari tamen nesciebatur, silentio is molestiam pellere conabatur; sed vbi longâ taciturnitate, rei in dies incrementa succrescere, illiusque carnificinæ atrocitatem magis magisque augeri vidit, necessitati cedens, eam aperire aliquando decreuit. Quod vbi fecit, & confessionis Sacramēto animum salutemque communiuit, paululūm vis tanti remisit mali: collo deinde reliquiarum sacrarum thecam, sanctitatis monumentis refertissimam, appendit: quæ eum ex motu propè intolerando, & summis animi turbinibus, ingenti securitate refecit: non tamen tanta quies fuit, vt nulla præteriti mali vestigia superarent. Itaque nec ipsius parentum sollicitudo vñquam commisit, vt officium suum vllâ in re desiderari posset: vocant ergo è nostris
vnum,

vnum, qui orationibus ad id ab Ecclesiâ constitutis, ritè eum lustret. Hoc peracto, placitum Deo, integræ sanitati hominem restituere. Tum enim uerò ipse admirabundus, suam lætus vicem cælesti Numini magnâ voce gratulari: & circumstantes Christiani, qui eò confluxerant, pro se quisque (vti par erat) laudes gratesque Deo agere.

Cuidam è nostris se ad nescio quem locum recipienti, decennis puella à matre adducta, occurrit; cui tantos motus horroresque nocturna spectra incutiebant, vt iam deficientes corporis vires propè animus destitueret. Patri igitur de spectrorum figuris inquirenti, respondit, sibi certo tempore adesse vulpem, duabus vulpeculis stipatam, quæ omnes fæmineo indutæ habitu, eam vi è maternâ domo extrahentes, ad siluam propinquam deportabant: ibique potione datâ, cuius & ipsam natura falleret, adeò affligebant, vt quid rerum ageret, omnino ignoraret. Patri dæmonis fraude perceptâ, nihil potius fuit, quàm S. Matthæi Euangelium, & orationem de infirmis, precesque Virgini Matri sacras
reci-

recitare, supra afflictam ritè Deum precando: sanctarum reliquiarum thecam aquâ lustrali cõspersam collo deinde appendit. Nec irrita supplicatio, nec piorum conatuû elusa sollicitudo: quippe repentè puella, victo excussoque importuno exagitatore dæmone, qui eam tres quatuorve annos crudeliter diuexarat, pristinæ tranquillitati redonatur, diuinæque Maieftati grates quàm cumulariffimas persoluit.

Nec vnus tantùm salutem, huius præsentiffimi remedij potentia instaurationit. Infirmorum enim complurium desperato morbo laborantium periclitata vita, S. Euangelij & orationis virtute in integram incolumitatem non rarò vindicata. Ita vt eorum quidam palàm confiteri non dubitarit, se tertianæ nõ aliam medicinam adhibuisse. Quippe, inquit, simulatq, vel minima eius tentatio membra inuasit, ad templum adeo: ibique totâ nocte interprecationes absumptâ, flagrantiores febris æstus facilè mitigantur: cuius antidoti præsentem efficaciam secundò tertioque haud dubius rei euētus comprobauit. Harum similiumque gratiarum

rum affluentia, quibus diuina misericordia has teneras plâtas recreat: simul omnes haud dubiè cælestis clementiæ miraculo percussos eò pellexit, vt extiali animi sopore discusso facilè ad veram lucem intuendam adducerentur.

*De Residentiis Insularum Schichi,
Consura, & Amacusa.*

ETiamsi his Insulis gentilis dominus summo cum imperio præsit, ^{Verte-} ^{bat} cum tamen ob egregiam propensam ^{Theo-} ^{dorus} que in nos beneuolentiam Christianis ^{Mid-} ^{deltom} ^{Antuer-} ^{piensis.} iam similior sit quàm suis; maius ipsis gentilibus religionis Christianæ suscipiendæ desiderium iniecit, eorumque voluntatem, ad rerum saluti inseruentium cognitionem assequendam accendit vehementiùs: ita vt præter communes fructus, quos in hac animorum messe collegimus, sexaginta vel plures lustralibus aquis expiati Christo nomen dederint, inter quos fuerunt nonnulli qui harum Insularum Præfecto à cubiculis erant; ob quos vt summæ auctoritatis homines maxima in Christianorum salutem redundatura speramus emolumenta: nonnulli alij apo-

D staseos

staseos scelere se obstrinxere; sed cæcam in crimine admittendo temeritatem, consecuta facti pœnitudo correxit. Huc vsque à Tarazaua, Schimanocami domino, disiecta olim templa instaurare Christianis permissum non fuit; hoc tamen anno impetratum est, vt ædes aliquot sacellorum instar, rei diuinæ faciendæ aptarentur. Ad quod præstandum ministri Tarazaua vltro se volentes lubentesque obtulere: imò ipse omnium Insularum in Schichi gubernator, qui inibi domicilium habet, vnū è Patribus nostris, ad nouum cœmeterium excitandum induxit; loci, tum temporis Christianorum sepulchris destinati indecentiam prætendens; ibique, quod numquam antea extorqueri potuerat, crucem erigi voluit, quæ inter medios Christianæ religionis hostes, suorum quasi inimicorum victrix, emicaret. Crederes ipsos fidei aduersarios, dum hæc faciunt, in suæ superstitionis exitium coniurare, nisi miracula quæ illos mouere potuerunt perpèdas: quorum hîc, quia vberissima fuit copia è plurimis auditu dignissima memorabo.

Cùm

Cùm è ruinâ destructæ cuiusdam fornacis præsens villæ toti immineret exitium, & præsentibus omnes incolâsq; haud dubium fuisset absumpturum, si igne disperso, aut euolente se flammâ latiùs fudisset incendium. Illicò orta trepidatio, diffugere omnes quò præceps agit pavor, periculum declinare, in tutum salutem suam recipere, omnia timore plena esse. Interea ad sacerdotem nostrum, qui in eâ villâ rei diuinæ operatus fuerat, aduolat impendēti periculo exanimatus nuntius, hortatur fugam expediat, vitæ consulat, manifestum euadat discrimē. Christiani ergo, fugiētis populi clamoribus exciti, in re quamuis trepidâ, intrepidi, diuinum implorant auxilium; audit Deus, periculum depellitur, sopitur incendium, domus cladi proxima manet intacta. sic ardentes Christianorum preces in ipsas etiam flammâs habuere imperium; non tam illis quam Deo per illas restingente incendium. Hæc Christianorum in miraculis patrandis potentia. Iam in aduersis inimicorum, vt præcipuè Bonziorum, qui quotidiani & quasi domestici Fidei

D 2

hostes

hostes neophytorum tirocinia oppugnant, furoribus sustinendis ostenditur generositas. Duo viri primarij, loci cuiusdã domino instigante, vt exemplò nouitiã religione abiuratã ad priorem redirent, respondent: eundem sibi, & fidei & vitę finem fore. Generosa nimirum pectora eodem pretio & fidem & vitam æstimantia! cùm homines plerumque nihil vitã ipsã potius soleant habere. Si non satis vnius historiæ commemoratio cupidinem vestram restinxit, en alterum priori non iniucundius argumentum.

Domino cuidam gentili duo non minùs sanguine quàm fide fratres inseruiebãt. Malè id hominem habebat, vtpote acerrimum Christianæ rei oppugnatorem; nec tamen voluntati adimplendæ patebat via. Tandem diu animo in diuersa versato, cùm sciret vnius fidem alterius fide stare, vnã inclinante alteram, quasi pronam in lapsum, secururam esse; placuit nuntium subornare, qui fratri natu maximo minoris à Christi cultu defectum indicaret: minorem inde nihil suspicantem simili arte tentaret, fratris au-

toritate

toritate obiectã, ad eius imitationem sollicitaret. fecit, digreditur composito dolo nuntius, vtrosque tectis astutiæ laqueis nititur implicare. Sed frustra. nequit capi his dolis cautior in fide retinendã constantia. vterque enim, vt suã quisque religione nitebatur, nec vnus ex altero pendeat, respondit: se à suscepto semel proposito dimoueri non posse, fratris impietatem sibi potius admirandam esse, & eã quidem cum libertate, vt & dominum facti pœniteret, omnemque in posterum circumventionum spem irrito hoc euentu damnaret.

Alius quidam gentilis sacro fonte ablui desiderauerat: id quod petebatur, concessum est. sed vt non ipsi Baptismus, sic ipse Baptismo malignè defuit; fraudulento animo in tanto ludens mysterio. At ecce, velut vindex Deus pœnas peteret, morbo corripitur; iacet lecto affixus, medicos consulit, omnes remediorum vias explorat. frustra omnes & medicorum artes, & amicorum auxilia ingrauescentis in dies morbi victrix pertinacia elusit. Dum sic in ancipiti morbo incerta iam & pœnè

D 3

com-

complorata afflictæ valetudinis spes fluctuat, inter vigiliæ somniq̄ue speciẽ, offert se quidam nostrorum more vestitus, vrget, instat Christianorum se sacris initiari patiatur. nec tamen animum superstitione captum, & omnis salubris consilij impatientem, vlla verba, vllæ flectebant preces. motus tandem aliquando (tanto maiorem habent efficaciam opera quàm verba) obsequio quod illi Pater deferre videbatur, porrigendo pro cibo fructum quemdam dulcissimum, inclamauit suauissimum nomen Iesu, quod eò vsque ab eo exprimi numquam potuerat. Nec mora, Baptismum recipit, Christianum se profitetur; totam familiam, vxorem liberosq̄ue ad eandem voluntatem compellit.

Christianus quidam cymbam cum gentilibus conscenderat. subitò inhorrescens mare paulatim leuari, deinde acriori vento concitatũ procellas ciẽre, & maiores fluctus voluere incepit. Iam cymba ipsa huc & illuc transuersum acta, exasperato fluctibus mari, obualabatur vndis, cursumq̄ue adhuc moliens nequidquam cum irato pelago

lucta-

luctabatur. Ingens iam omnium animos desperatio incesserat. trepidare gentiles, de vitã conclamare, suo metu periculum metiri; cunctorum mentes discriminis, quod instabat, specie perstringi. Ille igitur maiori fiducia arrectus, statim conscensã puppi, sacri Agniceram, quæ ex collo pendeat, funiculo religatam in fluctus deiicit. Mirum dictu, ex templo venti cadunt, sedatur tempestas, portus tenetur. Barbari gentilesq̄ue, cũ adhuc quædam tanti mali, quod euaserant, facies oberraret oculis, non minũs miraculo attoniti quàm lætitiã gestientes, Christianum gratulabundi amplexantur; suam illi vitam acceptam referunt, impensè Deo gratias agunt: ille omnia in Deum confert, qui tanta inter gentiles suæ potentiaẽ edit documenta.

De Christianis de Fingo.

F Ingonocami Regni huius Domino, hoste Euangelij infestissimo, magnam huius anni partem Meaci & in Regno Quanti agente, summa rerum tranquillitas Christianis omnibus est oborta, quæ non mediocri eis incita-

D 4

mento,

Verte-
bat
Hiero-
nymus
van
Seurck
Ant-
uerp.

mento, ad vberriimos spiritualium rerum fructus, summo labore diligentia-
 que colligendos, fuit. Cōmodū illis
 tam optatæ cecidere induciæ, per quas
 & respirare eis licuit, & ad grauiora cer-
 tamina mentem componere. Hac in re
 magno eis adiumento fuere Ioannes,
 Michael, & Ioachimus, quos fidei
 Catholicæ deuotos atrox gentilitatis
 barbaries, tum in Giatzoutciro defæ-
 uiens, æternis vinculis condemnarat:
 hi torpentem Christianorum alacrita-
 tem, crebriori hortatu erigere: in dies
 sedulò admonere hortarique, si de sa-
 lute animi æternâ laborarent, num-
 quam barbaræ crudelitati, tormento-
 rumque sæuitiæ inuictos Catholicæ
 fidei fasces submitterent: sæpiùs gen-
 tilibus, quorum delicta carceris diu-
 turna calamitas expiabat, fidei Chri-
 stianæ & Euangelij dogmata persua-
 dere: nec piis conatibus felicior for-
 tuna defuit. quippe eorum nonnulli
 Baptismi lustratione expiati, Christia-
 nę militiæ nomen dedere: obstrictaque
 fides, sanctè fœderis iura obseruauit:
 vbi enim sibi in dies arctiora fieri,
 resque in vitę desperationem adductas
 per-

perspexere, merita supplicia adeo pa-
 tienti hilarique animo in delictorum
 expiationem pertulere, vt sibi necem
 spontaneâ voluntate exoptasse vide-
 rentur. Ardens sanè Dei famulorum
 impetus; feruidæ erant diuini amoris
 flammæ, quibus eorum pectora per-
 petuò æstuabant; vt latentes, & vel-
 uti sepultos Euangelij thesauros ad-
 verum splendorem tandem emergen-
 tes, toti orbi spectandos exhiberent:
 atque ita ebulliens cordis ardor eorum
 animos confirmarat, vt non modò
 nulla sæuientis Tyranni feritas, nullus
 suppliciorum rigor, nulla necis for-
 mido eos à Dei seruitio obsequioque
 retardaret; sed & tormentis superbiens
 animus, sibi quodam modò de superatâ
 Tyrannorum crudelitate trophæa vin-
 dicaret. Nec maiori Christianis exem-
 plo infracta virtutis pertinacia fuit,
 quàm admirationi gentilibus. Quippe
 carceris diuturnæ miserię, oblectamen-
 to; tormenta, voluptati erant. Ardenti-
 bus votis expetebant vt sibi facultas
 daretur, ei aliquando sanguine paren-
 tandi, qui cruore suo totum orbem in
 libertatem vindicaret.

Nec parum utilitatis Christianis de Fingo attulit legatio quædam proximâ subinde occasione confecta, cum Ioachimus (de quo antea mentio) carceris squallore, senioque, & teneriori corporis habitu præter ceteros conflictatus in morbum grauissimum incidit, naturæ imbecillitatem calamitosâ carceris aggravante fortunâ. Itaque necessitate impellente, quidam è nostris ægri confessiones excepturus mittitur, qui Arimâ discedens intempestâ nocte Giatzousciro ingressus, à Christiano quodam benignè iuxta comiterque excipitur: post rustico indutus habitu, elusis castri custodiis, militeque ad ipsas molis fauces excubante, ad carcerem adiit. Ibi eum tantâ cum lætitiâ captiui excepere, ut gestientes præ gaudio lacrymæ oculis erumperent. Quo viso gauisus Pater, miratusque homines tantis calamitatibus defatigatos, inuictò animo ærumnosum carceris squallorem tolerare. Ioachimum ita vis morbi lecto afflixerat, ut debilitatum malis corpus, & iam præ nimîâ difficultate deficiens, ampliùs erigere nequiret. mox peccata studiosè præmeditatus, salu-

salutari confessione animi labem absterfit: quod non maiori ipsi solatio, quàm Patri iucunditati fuit. Verùm non ignarus Ioachimus vires præ mali vehementiâ deficientes quandoque animum destituere, sacramento confirmavit, (quod & postea propriâ manu conscriptum Patri tradidit) se ob Catholicam dumtaxat fidem carceri inclusum: nec recusare porro vinculo- rum difficultates molestiasque omni reliquo superstitis vitæ tempore, pro Christo, tolerare. Ceterùm, non superuacanea Christianorum de Ioachimo obseruatio fuit; quippe cum antea cto tempore, morbis mentem expugnantis impos rationis ferretur, subito aduentu Patris redeunte animo, non sine Dei eximiâ prouidentiâ, sibi restituitur; iudicioque integro redonatus, & sacramentum, & confessionem antea dictam, firmâ mente præstitit.

Nihil antiquius postea Michaëli Ioanni que fuit, quàm expulso veteri mentis languore contractas animi sordes expiare, tanto animorum solatio (quemadmodum ratione ipsâ constat) ut gaudio exultabundi, Deo grates haberent,

berent, quòd eis huiusmodi hominem destinasset, cuius adspectus familiaritasque reficeret, cuius etiam monita ad fidei constantiam eos incitarent. Nec indicia externa degener animus fallibat; tanto etenim miseriarum cruciatuumque suscipiendorum desiderio conflagrabat, ut pro eo, lubenti animo reliquum vitæ tempus hisce calamitatibus molestiisque affligerent, qui ut nos in lucem libertatemque vindicaret, morti se acerbissimæ immolauit. Asserebant quoque sibi compedes oblectamento, catenas recreationi esse: ita ut non modò pristinam libertatem nunquam expeterent; sed ne vel minima in eos cogitatio incideret, de carcere deserendo, nisi tum, cum ad cælestis vitæ gaudia vocarentur: nec preces aut vota deerant, quibus quotidie efflagitabant, ut eterno carceri destinarentur, & inter ipsa etiam vincula constantem spiritum exhalarent. Pater inde ad hospitium se recipit: ibi eorum confessione acceptâ, quorum per temporis breuitatem accipere licebat, in Cumamoto transmittit: quam licet Domini Canzuiedono aula occupasset, non tamen tantâ

tantâ custodiâ tenebatur, quantâ Giatzousciro. Itaque Patri commodius erat Christiano gregi, confessionibus auditis & Sacramentorum factâ administratione, vacare. Decem gentilibus, quos explanata Catechismi dogmata ad Christi partes traduxerant, puerulisque quatuor pro tempore initiatis, Pater in Vto discessit: vbi aliquot rursus infantibus Baptismo lustratis, & salutari confessione sordibus Christianorum absterfis, Arimam cogitat reuerti. Subinde Ioachimus, morbo in dies grauescente, xxvi. Augusti anno M. DC. vi. vitam sanctimonix notis haud dubiè insignem ad mortalis metæ terminum perduxit, & in cælestem (uti speramus) patriam remigrauit, optato laborum præmio martyriique palmâ, quam iam dudum spontanex mortis cãdidatus ambierat, potiturus. Desiderij indices certissimæ fuere in Arimensi collegio, ab eo dum captiuus abduceretur, in hunc prope sensum relictæ litteræ: Omnibus significo, sancteque assero, quando lex & Christi documenta solâ veritate integraque puritate nitantur, hoc vnum dumtaxat fla-

gran-

grantibus votis me efflagitasse, ut cæcæ gentilitati fidem Christianam aperirem. Mihi igitur hoc expetenti diuinâ clementiâ suffragante, patria Giatzou-sciro exilium carcerque destinatur. Itaque imperatum pro fidei veritate exilium sibi animus gratulatur, & præ gaudio exultabundus opem cælestis Reginae implorat, postulatque ne Filio suo benignissimo supplicare dedignetur, ut non antè diuinis obsequiis defungar, quàm vitâ: spero que (sic faueat Numen) me numquam tormentorum crudelitati defuturum: & licet artus quos natura cōnexuit, temerata membrorum societate disrumpantur; attamen diuinâ charitate triumphante, de me, & barbarorum atrocitate victoriam feram.

Corpus eius, arcano Christianorum studio, Arimam delatum, non tantâ veneratione cultuque, quantus desiderabatur; sed illo, quem tēporis breuitas indulgebat, in templo nostro, S. Martyri Ioanni (qui tribus abhinc annis, in Regno de Fingo martyrium subierat) tamquam coronæ socium, & competitorem coniunximus: quippe licet
diuerso

diuerso mortis genere, attamen simili, eademque causâ interiêre. Carceri Michaël & Ioannes superstites, lati desiderio patiendi æternis vinculis à Canzuiedono hisce diebus sunt adiudicati. Mirifico gaudio afficiebantur magni athletæ; non dubiam enim desiderij explendi spem sibi affulsiisse, maioremque coronæ victoriæque rationem oblatam arbitrabantur: cesserat metus, quo indies torquebantur, ne vñquam vinculis exempti, palmæ martyriique iacturam paterentur: voluntas complebatur, quâ semper ad vitam Christianæ Fidei impendendam anhelabant.

At ne prolixior excurram, ratus breuitati quàm maximè studendum; hoc eximij successus certissimo argumēto, rebus de Fingo finem imponam. Filia Christiani cuiusdam à Gubernatoris Giatzou-sciro filio in coniugium sollicitabatur; mox de re deliberatio adhibetur; affinium consilia ineuntur; puella, nobili destinatur; fœdus eâ lege percutitur, quàm primùm animi fordidibus Baptismate expiatis, se ad meliorem Christianamque vitam recipiat. At nobilis mox fœderis pertæsus,
verbis

verbis adulatoriis (vt fucati palpatores assolēt) Baptismatis susceptionem protrahebat, contendens nihilo minùs à Christiano, vt verbo staret. Itaque certo tempore, eum ad se accersuit; primùm blanditiis, mox minis, ad pactum fœdus impellere nititur: sed Christianum sententiæ tenacem (qui filiam ei cessuram è promisso assererat, si Baptismo, vti receperat, se sponsus expiasset, quando Christianis liberos gentilibus collocare moris non esset) iussit Gubernator in equuleum cõici, ratus animi pertinaciam tormentis emolliri flectique posse: carnifices mox domini iussa exsecuti, pedes eius inter duas tabulas distinxêre; tãtisq;ue cruciatibus exagitarunt, vt planè pedes luxarentur. Constantiã viri incredibili percussis tortores, percunctantur; quĩ fieret, vt inuictus animus tantæ tormentorum immanitati sufficeret. Respondit: Charitas eius, cuius gloriã hæc patior, mihi inuictum robur subministrat; quod non tormentis, non denique morti succumbet: & quamuis non mediocri pœnarum dolore conficiat, eius tamen recordatione facile

cilè asperitas omnis mitigatur. Pius Christianus, totusq;ue diuino amore exardens, tandem cruciatuum acerbitate deuictâ, fractis quidem debilitatisq;ue viribus, animo tamen triumphante, de tortorum Tyranniq;ue superatâ feritate, victoriam reportauit, maximamq;ue apud omnes auctoritatem obtinuit: Gubernator verò (vt & ipse fatebatur) non vulgarem ignominia notam subiuit.

De Residentia Facatana.

F Verunt hoc anno, è nostris sex, qui ^{Verte-} in hac celeberrimâ vrbe Regni Sci- ^{bat La-} niensis strenuè pro fidei, Christiano- ^{zarus} rumq;ue augmento desudarunt. Cam- ^{Tuche-} pus sanè est amplissimus Euangelicæ ^{rus Ant} sementi, cuius in dies læta fecunditas ^{uerpi-} iucundo spectaculo maturescit. Argu- ^{sis.} mento sunt gentiles, qui plus mille baptizati sunt, aliiq;ue fructus copiosi, qui maiori quàm hætenus, Sacramentorum vsu, vberius prouenerunt.

Cainocami Regni Princeps (quem Cicungennocami nunc appellant) pergit porrò, quo ceperat nos affectu complecti, suaq;ue in ditione admissos vindicare.

dicare. Vnde Facatam reuersus, (nam maiore anni parte ab vrbe abfuerat) quàm primùm ad ædes nostras se contulit, lætusq; supra modum exultabat, noui templi conspectu, quod iam absolutum patris sui Simeonis (qui id vltimis tabulis imperarat) pro fronte nomen gerebat inscriptum. Laudes insuper copiosissimas gratulationesque iungebat, de opere tam feliciter perfecto. Fuit nonnemo inter gentiles, qui scelestum ei consilium disturbandæ ædis iniecit; asserens illi creatum exitiũ, si quid de eâ Cubo inaudisset iam exstructâ perfectâque. Sed nimirum generosè respondit, quando nec solus Patres recepisset, templumque intra ditionem haberet suam; primum se non fore qui ea demoliatur: ita silentium omnibus indictum fuit.

Non defuerunt hîc, quæ alibi narrata sunt, fortitudinis etiam pro fide admiranda facinora; vnum, breuitatis causâ, ceterorum instar recensebo.

Adolescens quidam omni laudum genere insignis, & obseruantiam erga parentes suos singularis, cum ad Baptismalem fontem anhelaret, multis id pre-

precibus obnixè à parente exoptulauit, nec repulsam supplicationis timebat, quòd duobus minoribus natu fratribus, id non inuitus parens concessisset: verùm longè aliæ exagitabant parentem causæ; cur, quod aliis indulserat, maiori natu denegaret, quando aliis eum sæculi dignitatibus pridem destinasset. Nō fuit dicto audiens filius, & qui semper magnâ cum laude patri obtemperarat, maiore gloriâ iussa detrectauit; Deo potiùs quàm homini parendum ratus. Baptismo ergo ablutus, diuinæ militiæ nomen dedit, aliud quidem, quàm quod à parente acceperat; & tutelare Petri nomen magnâ pietate suscepit. Latuit ea res parentem anno integro. Petrus interim cum nomine vitam mutauit, quam Christiano homine dignam instituit: subitaque hæc morum mutatio, inquirendæ veritatis occasionem præbuit: adeò numquam latere potest virtus; quâ premas, numquam suppressas tamen. Inquisiuit ergo parens, & veritatem deprehendit: indignatus est subito, & auxiliante dæmone omnem operam nauauit, vt à sancto vitæ proposito filium dimoueret,

ret, omnem asserens mutationem esse periculofam, & potissimum religionis patriæ, quam velut summum pignus propugnare debeamus tamquam aras & focos. Addebat religionem vnicam tantum veram esse posse: quare si meliorem relinqueret, quam parentes sui, & tota patria amplectitur, in teterrimam incidere necesse esse. Miscebat rationibus minas, & imperio preces; sed magnam filij constantiam exercuit tantum, non labefactavit: fundatus enim supra petram novus Petrus, omnes conatus & industrias parentis elusit. Aggreditur ergo filium parens cubiculo inclusum, icones omnes, & pias imagines arripit, diripit, disicit; minas, preces, amorem, odia iungit, ut nascentis religionis stirpem conuellat aliquando: sed omnibus ventorum minis & periculis magna Christianæ religionis arbor superior fuit, quæ ab ipso ducit opes animumque; ferro. quam cum firmiter parens radieatam videt, extremam adhibet violentiæ manum, existimans magnis malis magna esse adhibenda remedia. Eiicit filiū domo, & velut viscera sua proiciens, negat se genuisse

genuisse eum, quem produxerat. Sed tantam parentis crudelitatem benignè excepit Christiana patientia: exul paternā à domo humaniter à Christiano quodam habetur. Petrus læto animo, crudele patris imperium tulit, quod ob Christi nomen hanc iniuriam pateretur: alter benevolè eum tractabat, existimans omnem illam gratiam quam Petro præstabat, se Christo exhibere; ad hæc, & fraterni amoris, & religionis vinculum omnes nos obligare. Sed neque hinc diu licuit quieto agere adolescenti. Aduolat parens furibundus & gratam hospitis operam ingratiè expostulat: agit de exhibendo filio; denique multa contestatus, iubet filium per Iaponiam extorrem vagari, & ab oculis abesse longè eum, quem ex amoris paterni albo dudum expunxerat. Exequitur Petrus madata patris, ut Deo simul pareat & patri, æquam atque iniquum patris imperium ferens.

Dum ergo discessum parat, totius rei negotium Patri nostro innotescit; qui dignum auxilio adolescentem existimans, in ædes nostras eum adducit. patris placandi spem concipit: sed vix pedem

pedem ædibus intuletat, cum omnia ad hominem barbarum deferuntur. vbi verò nihil ad eius ferociam mitigandam sufficeret, imò magis quotidie accenderetur; filios duos, Franciscum maiorem natu, & Ioannem scholis nostris subducit, vt securitùs, præstitum filio beneficium vindicaret. Nec satis, filios stimulat in damna & odia Societatis. recusant hi durum patris imperiũ exequi, imò maiori amore magistrum suum prosequerentur in dies. Mitigatus ergo est nonnihil furor parentis natorũ pietate, cum peccaturo obstarent sibi; destititque imperare tantum scelus. Paruis tamen molestiis, iam subsidente veluti grauiore irã, subinde eorum animos explorauit: nihil enim postea valuit, quamquam omnia expertus, more anguium qui obtrito capite postremum caudã minantur: sacram ergo cerei Agni bullam vtrique summã vi de collo deripere conatus; cum maior natu resisteret fortiùs, & alter ad lacrymas tamquam puerile præsidium decurreret, acquieuit, postquam fidelium templo eis interdixisset. Quod nec assecutus est tamen; non desti-

destitit enim Franciscus, quæ solitus erat templa frequentare, pios sæpè cum Petro sermones miscere; qui eum hortatur, vt in cœpto religionis instituto perseueret constanter, dulce esse etiam cum ignominiã nomen Christianum. Roborant hæc firmum animum Francisci; qui ne partibus suis desit, ad eandem constantiam fratrem suum Ioannem constanter adhortatur. Dum hæc geruntur, vir nobilis quidam, Ciccugennocami auunculus, Facatam appellit, qui licet gentilis, complectitur tamen Christianos, & peramicus est Petri illius parenti. Hic vbi rem totam intellexit, domesticum dissidium modestè componere auebat; & vtrique parti satis facere studens, hortatur Petrum, verbo Ethnicam religionem profiteatur, re verò ipsã, pro animi voto, Christianæ adhareat. Sed frustrã tam nefaria suadet consilia. Petrum ergo ad ædes irati illius hominis adducit: hic ille ab omnibus probis æquè ac improbis oppugnatur; insultabant ministri, & summi iuxta ac infimi obtredebant: sed victor tamen, fortiter patiendo, obtinuit palmam. Inde ad nos se
reci-

recipit. hâc postquam diebus aliquot, pro nobilis illius voluntate latuisset, fracta est irati parentis sæuities, tantique spiritus detumueret, moxque cum illo in gratiam rediit dudum interruptam. Multa hâc prætermitto leuioris momenti, vt rebus Facatenfis regni finem imponam, euentus sanè memorabilis narratione. Christiana quædam honestis moribus femina, à gentili milite, qui abesse eius coniugem intellexerat, & litteris & blanditiis, vt datam marito fidem falleret, fuit excitata: sed vt erat virtutibus non mediocriter instructa, viriliter iuuenis impudentiam & intolerabilem audaciam semper compressit; non tamen eius animum, amorum ignibus inflammatum, extinxit; qui quanto maiorem in eâ constantiam pudicitiamque experiretur, hoc maiore cupiditatis incêdio torrebatur. Ille itaque loquendi cum eâ opportunitatem captans, domum matronæ ingreditur, supra modum arrogans; nihilque moratus, illam in horto, vbi sola erat (vt nouerat) aggreditur: nefarium animum fœdâ libertate aperit; ad crimen inuitat: at mulier quæ omnem

tur-

turpitudinem semper reiecerat, cuique honestas (quæ ornamentum præcipuum & nobilissimum feminarum est) super alia quæcumque cordi erat, nullâ ratione hisce militis illecebris acquieuit. Ille stricto pugione, pectori eius admoto, mortem præsentem, si consensum abnuat, machinatur. Potuit pugione verba flectere, non voluntatem. Spondet ergo obtemperaturam se, sed alio die post secuturo; nunc liberam vt mittat obtestatur. Discedit miles, lætus inani spe; rediturus deinde, vt credebat, ad extortam voluptatem. Mulier datâ simulanter fide, in cubile se recipit, vbi totam noctem, & sequentem diem, supplex Deum obtestata est, iam verè CHRISTIANA LVCRETIA, vt antè perire se velit, subitoque mori, quàm pudorem suum labefactari. Audiuit iustas mulieris preces cęlestis Iudex, qui suos in necessitate non deserit, eamque ita omni periculo exemit, vt non morte (quod rogarat) præriperet, quæ propter castitatem longioris merebatur vitæ beneficium; sed adulterum necaret, qui impudenti flagitio integritatem feminæ violare tentarat. Sequenti

E

enim

enim die, quod ille fortè tempus fœdis amoribus destinarat, hominem sano & valido corpore viderūt plurimi concidere exanimem, cùm nemo tam subiti exitij causam posset suspicari.

De Residentiis Cocurâ, Bungo, & Firoscimâ.

vertebat
Dinge-
mânus
Ianssen,
Ziric-
z&us.

IN domiciliis Cocuræ, capite Regni Bugen, præter copiosam frequentiam concionum, Sacramentorum confessionis & communionis (quæ quia quàm proximè accedunt ad alia loca, prætereuntur silentio) plus quàm 1000. & 60. sacro fonte abluti sunt à gentilibus: itaque acta necessitate virtus, aliud templum erexit, datâ facultate, præstitaque ope à Tono homine licet gentili.

In Residentiâ Bungensi Christo initiati sunt 400. & 70. gentiles. Religionis feruor, pietasque horum Christianorū imprimis exarsit, præcipuis annifestis, ac maximè 40. dierum sacro ieiunio; ita vt in dies, luce in vesperam inclinatâ, locus frequentissimus esset, vbi ad sanguinem vsque densâ flagrorum atrocitate corpora dilacerarent.

Tan-

Tantus tum huius populi in sacro inedia Christianæ tempore obseruando religionis amor ac pietatis studium exstitit, vt non defuerit, qui cùm nesciret, quonam tempore ieiunium inchoaret, ob terras ingenti spatio intervalloque ab omni Catholicorum societate remotas, tribus mensibus continenter corpus inediâ maceravit, quò de ieiunij integritate securus esset.

Etiamsi Firoscimæ Præfectus, non sinistrè de Euangelicâ veritate sentiat, sponderitque nostros, si candidè se gerant, intra ditionis suæ limites se esse retenturum, pauci tamen nomen Religionis dedere; gens enim est in idololatriæ erroribus pertinax, ob Bonziorum hîc habitantium frequentiam, qui ridiculæ superstitionis commentis credulas eius aures occupant. Dictitât hi, post certas temporum periodos, Camos regnum reddituros esse cuidam sibi addictissimo, quem MORI appellant. Insuper accedit horror, quo miserorum animi percelluntur, idoli cuiusdam, non ignobilis in Iaponiâ, quodque in insulâ Itzucusimâ (quod nomen insulam pulchram interpretamur)

E 2

mur)

mur) quæ milliariibus tribus Firoscimâ distat, religiosè colitur. Ambitum eius vniuersum orbis amplectitur, & per tres leucas ditionis suę terminos explicat, eam siluæ multarum arborum umbrâ & proceritate amœnæ: nec non colles ipsi quoque frondibus læti, radices humore subeunte, excipiunt; in quorum, qui magis eminent, vertice, templa visuntur idolorum: valles verò & loca maiori squallore horrida, crebris Bonziorû cœnobiis frequentantur. Quâ viciniùs acceditur ad mare, delubrum est celeberrimi illius idoli. Locum eum magna siluestriam ceruorum frequentia incolit, qui impunè quauis viâ grassantur, & veluti domestica animalia, ab omni venatorum iniuriâ immunes sunt.

Animum inducit vesana hæc gens, ceruos hosce, licet bruta sint animalia, legatos esse idoli, quod auitâ parentum serie, fallax successio tradidit fuisse olim Reginam Corai, quæ acerbâ suorum persecutione agitata (causa seditionis in occulto habetur) Iaponiam miseræ suæ leuamen petiit, ac ibidem è viuis excessit.

Qua-

Quatuor anni temporibus, festos dies in honorem huius idoli instituunt; atque ex circumiectis Iaponiæ regionibus, varia peregrinorum religio confluit: tanto venerationis affectu dæmonium illud prosequuntur, vt, dum inde in patriam regrediuntur, pertimescant induere calceos, quibus superstiosam terram calcauere. eos itaque, ne scelere coinquentur, ibidem deponunt. Nonnulli maris aquam eò loci haustam, secum auehant, veluti sanctam, & morborum vehementia depellendæ salutarem. Multi præterea, priusquam se templo committant, frigidâ abluuntur, in atrocissimâ etiam sæuientis hiemis asperitate, vt ab omni labe expiati, templum ingrediantur. Ad hæc accedunt munera dæmoni oblata, eleemosynæ, quas Bonziis impertiuntur, multaque alia religionis argumenta; vt ab iis exhibentur, qui cum eò contendere nequierunt, amicis aliisque nuntianda idolo vota commiserunt. In ipsâ insulâ carnibus vesci nefas est; remque vllam viuam illicitum trucidare, aut mortuam humo mandare: quam ob rem barbara quortindam crudelitas

E 3

sæ-

sæpiùs afflictos, infirmosque animâ vix emissâ abripit, & in scapham deturbatos, in aduersam ripam, quam angustum fretum à continēte dirimit, terrâ humandos transuectat. Nulla res multitudinem efficacius regit, quàm superstitio, quæ vbi vanâ religione capta est, maiorem suis figmentis, quàm veritati ipsi fidem habet. Firoscimæ ergo populi, in idololatriam humanarum mentium ludibrio reuoluti, & sicuti patronum suum hoc dæmonium venerantes, quia nimio illius terrore misera pectora eorum marcent, sacrum Baptisma auersantur; nam vbi intravit animos pavor, id primùm metuunt, quod formidare cœperunt.

Denique Bonziji, non imprudentes, quam suspensam inani timore gentem illam sollicitamque tenent, mille fabularum commentis terriculamenta in eorum animis fouent, cōfestim adscribenda vindictæ idolorum, vbi sinister quis casus rebus interuenit.

Hinc cùm Præfecti Taiudono arcem fortuitus ignis corripuisset, sparserunt subitò egregij aruspices, è cœtu suo, non paucos, ingentis flammæ radium

per

per aëra allatum oculis vsurpasse, ipsique palatio Toni supradicti illapsam, certò obseruasse. Præsentissimum, eorum opinione, supplicium ab idolo immissum Tono esse, qui nescio quod arborum genus ex illâ siluarum frequentiam dæmoni oblatum amputauit. Hoc igitur obice fabularum oclusos animos & incredulitate, vniuersos sibi conciliat humani generis hostis, vt in apertam Euangelij lucem prodire nequeant.

Nihilominus licet acer sit idoli metus, maior tamen Christianorum spes: nam hisce parû reluctans figmentis, Taiudoni maximus natu filius ardentissimo Christianæ professionis desiderio feruet, adeò vt, si parentum veniam sibi non liceat, iis vel indignantibus baptizari tamen velit. Eodem Religionis amore flagrat nobilis familiæ matrona, coniunx vnus ex Aulicis Taiudono, quæ vt affectus sui symbolam aliquam afferret, intereà dum ad Christianam religionem se comparat, sacro latice bimam filiam obtulit expiandam. Ludouicus Cicugodonus cum Simone fratre, inconcussæ horum

E 4

Chri-

Christianorum columnæ, nihil de pristinâ virorum virtute & singulari pietatis disciplinâ omiserunt, fortunarumque suarum luculentâ felicitate, inopiæ consulunt indigorum, virtutum etiam splendore egregio Christianæ religionis summam æstimationem in omnium gentium animos deriuant.

Hoc anno vterque secutus est Taiudonum; qui opportunitate ædificandæ nouæ arcis, in Giendo, vti initio Epistolarum diximus, iter intenderat. Hic, quando cum ceteris copiarum Præfectis statua habere sunt coacti, ædes conduxerunt hominis gētilis; quò (veluti pios Christianitatis alumnos decet, qui etsi locorum mutatione mouentur, animo tamē immobiles manēt) erectâ arâ, cum variâ Christianorum turbâ, se Deo commendaturi secederēt, quoties oblata facultas permetteret; idque præcipuè Festis diebus. In Paschatis solemnitate Ludouicus, pristinæ suæ cōsuetudinis non oblitus, lauto prandio Christianos omnes recreauit. Sed quia inter epularū struices, nescio quo apparatu ceruinæ carnis ferculum inferendum erat (animalia hæc, quia quorum-

rumdam Camorum, quos superstiosè obseruabat hospes, legatos esse credebatur) non passus est gentilitatis suæ acerrimus vindex, huiusmodi ferculum domi suæ apparari, inani timore Camorum percussus, quos crudeliter in eos consulere putabat, qui religione contemptâ, ceruorum carnibus vescerēt. At debitas pœnas, quas à Camis in Christianos infligendas opinabatur, infelix ipse, diuinâ manu vindice, in caput suum, ob cecitatem mox delapsas sensit. Non paruo dierum interuallo, vbi Ludouicus de aliâ sibi domo prospexisset, miserrimi hominis ædes cum omni supellectili ita conflagarunt, vt latè fusæ per summa & ima tecta flammæ, ipsa etiam præsidia occuparent.

Non minori supplicio vlciscentis Dei iram alter gentilis sensit, qui dum Ludouico vitæ exitium machinatur, eadem ipse lucis vsurâ priuatus fuit. iustissimè quidem, quia pari vindictâ insanæ superstitionis contumacia expianda est.

Erat Ludouicus cum duobus gentilibus tamquã collegis Iudex à Taiudono

dono designatus, ut tres pariter iudicarent, num iusta de vitæ discrimine lata esset sententia. Hic ergo Ludouicus candidi & sinceri Christiani officio perfunctus, calculum suum illi, cui meritò tradendus erat, adiecit. Contra verò collegarum auaritiâ, lucri cupiditate, & proprio iudiciorum errore excæcata, noxio absoluto, condemnat innoxium, dissidentibus inter se iudicibus. Taiudonus iubet ad decernendam litem, ut reus, & accusator, veritatis explorandæ causâ ignis sacramento periculum faciant.

Veteri consuetudine apud hosce infideles receptum est, in obscuris rebus, quarum aperta cõprobatio non habetur, producere reum septis inclusum, & subinde etiam accusatorem (viti & hîc contigit) tum eorum manibus, forcipe, candens ferrum admouetur; quo sublato, cum duos trësve passus progressi sunt ambo, accusator, & ut reus, mensæ id in hunc finem comparatę imponunt. Põst quatuor aut quinque dierum spatium intermisso, vtriusq; manus exactè perlustrantur; eumque ut falsarium certissimo argumento de-

pre-

prehensum condemnant, cuius manus grauiori vstione mutilatas reperiunt.

Quamobrem cum status illuxisset dies, quo ferri vstione veritas exploranda erat, alter, obluetante cõscientiâ, veritus ne celatum facinus in vulgus prodiret, ad Bonzium monasterio cuidam præfectum adit, & ne maiori quàm aduersarius iurati ignis cauterio notaretur, certa super manus iubet pronuntiari incantamenta; plenumque ingenti spe Bonzium dimittit, asseritque immunem fore: quare alacriori animo pactam conditionem subeat. Ergo dictâ horâ conuenerunt Iudices, simul vtraque pars denso agmine stipata, precibusque ad Camos absolutis, in quodam templi Principis atrio, ignitum ferrum & rei & accusatoris manibus imponitur, chirothecæ deinde eorum manibus inducuntur, ne adustionis furtiuum remedium clam accersiretur; itaque post elapsos quinque dies clarissimè pateret, cuius manibus ferri ardor grauiùs incubuisset. Eum ecce, quem Ludouicum verè innocentem absoluerat, acerbiùs ab ignis vehementiâ detrimentum accepisse com-

E 6

periunt.

periunt. Eò id euenerat, quòd æquitate causæ suæ, nec non Camorum quos sedulò colebat, beneuolentiâ fretus, ferrum nimiâ temeritate contrectasset, eaque ratione latiùs ignis atrocitas innocentis quàm aduersarij manus comprehenderat: reus cùm ferrum à se arreptum subitò abiiecisset, caloris vehementiam eminus expertus, minus è læsione tulerat detrimentum. Igne verò velut iudice decisa lis est, condemnatoque innocente, absolutus est reus.

Res hæc quam ad innocentia patrociniū à Camis gestam esse prædicabant, gentiles confirmauit non paucos (qui tamen Catechismum audiuerant) vt pertinaces in errorum tenebris delitescerēt; quòd dilatam, non ablatam homini huic nefario Dei vindictam non viderent. Nam erectus ille felici successu, circūspecto familiarum consilio, ad omnia accusationis momenta, quibus Ludouicum in Toni inuidiam adduceret, deinde incumbere cœpit. Dum ergo aditum nefariæ spei molitur, Ludouici animus in sollicitudinem reuolutus, assiduis tam suis quàm alienis

nis precibus, hominis innocentis, suæque causæ integritatem Deo committit.

Taiudonus ablegat vnum ex Aulicis, qui gentili ob victoriam gratuletur, iubetque, vt proximâ luce pristino munere functurus in palatium reuertatur, & quòd non modò vlla dignitatis ornamenta, & stabilitatis suæ præsidia perdidisset, verùm etiam ampliori reditu cumulandus foret. Fauentem huius fortunæ occasionem, commodamque suis insidiis ratus gentilis, gratiis Tono actis, pro singulari erga se animi beneuolentiâ, significat, se nimirum erubescere in hominum conspectum prodire, manibus adhuc læsis; postulatque pariter summâ contentione, vt bonâ eius veniâ, liceat caput sibi radere, (signum hoc est commune Iaponibus, dum mundo nuntium remittunt) & agere in solitudine, libero ab omni hominum seruitute. Redit ad dominum responsurus Aulicus, qui vnus, è totis comitiis, Ludouico aduersatus erat, Tonumque huius excusationis causam fuisse sciscitaturum arbitratur; eoque pacto omnem eius iracundiam (quod vnum anhelabat) in Ludouici

douici caput esse recasuram; cecidit præter spem tamen, fuitque hæc Toni responsio, pro breuitate verborum, indignationis plenissima; indignū, inhonestumque sibi videri tam luculento beneficio, oblatisque honoribus, ita parum respondere: hominem tam inurbanum, tam ingratum beneficiis à se præstitis, non alio quam capitis supplicio, arrogantis animi insolentiam expiare debere. Itaque è vestigio, versâ in iram gratulatione, eundem ablegat Aulicum, adiecto imperio, vt quàm primùm more Iaponum, ferro vètrem aperiat, quo verò certius sibi de peracto supplicio constaret, armatos aliquot expediuit, qui vtrumque interimerent, si vel Aulicus, vel Gentilis alter, imperatam necem suis sibi manibus adferre detrectaret.

Gentilis ergo mortis nuntium accipit, vbi poculis districtus, cum multis amicorum, animum recreationi dabit. hinc multo acerbius res ea mentem perculit, quæ per se satis terroris habet. Ergo infelix confuso ore magnæurbationis notas præ se ferens, & timore suspensus velut animi impos, quâ ratione

tione periculum à ceruice discuteret, diu multumque secum anceps luctatur. Ad capitis discrimen subeundum coactus est tandem, & omni spe vitæ destitutus, in conspectu amantissimorum sodalium, mortem sibi ipsi consciuit, quam nefario scelere & fraudibus Ludouico machinatus erat. Ita nihil potest esse diuturnum, cui non subest vera ratio; licet felicitas aspirare videatur, tamen ad vltimum temeritati non sufficit. Quippe tum ei caput non abrasum, sed & amputatum est, qui hominibus remisso nuntio, per simulationem, sanctè viuere voluisse se, antè iactitarat. Hæc vniuersa discriminis facies, infidelium animos grauiter commouit. Vnde quemadmodum Ethnici illi homines Camorum (quibus infelix ille sese commendarat) in clientes suos curam patrociniūque celebrabant; mox vbi miserrimam eius conspexere mortem, qui exitium Christiano molitus est, palinodiam canentes, clamabant palàm, experiri se denique quàm parum Cami possent, vnumque esse Christianorum Deum, qui cultores suos à periculis omnibus vindicaret: adeò

vt multi è primâ nobilitate viri, tam insolenti casu attoniti, ad Catechismi haurienda præcepta animum induxerint; Christianique in religione suâ confirmati, quando Dei erga suos providentiam liquidò perspexerunt.

Meacum.

*Verte-
bat Ia-
cobus de
Cater,
Ant-
nerp.*

Quantum in huius populi profectum laboris & sudoris exhaustum sit, maxima viginti sociorum, plurimorumq; Dogicorû opera ostendit, cui copiosus, velut è præcipuo Iaponiæ regno (vti speramus) fructus respondebit. Tanto enim animosius idololatriæ bellum indixere, quanto latius eam hîc manasse perspexerunt. Quo in opere vt maiori cum alacritate persistant, nouum vero Deo erectum templum animos addit, in quo tanto omnium feruore & gaudio, tanto Christianorum concursu incruentum illud diuinæ maiestati Sacrificium in dies offertur, vt suprâ nihil cogitari possit, vnde est sanè quòd æternæ illi bonitati gratias cumulatissimas referamus. Confitentium numerus, priorem omnium multitudinem longè superauit:

uit: inter quos de totius vitæ cursu, non pauci. & vt compendiò dicam, is in Christianis hisce feruor, hoc gaudium fuit (quod etiam ob crebriores conciones, Festorumq; summâ cum celebritate transactas solemnitates summè demonstrarunt) vt nobiscum summo pere exultarent, crederentque persecutionem tot iam sæculis grassantem, deinde extinctum iri: imò & in Bonziorum despectum, plurima Christianis sacris delubra erigenda, intra Meacensem ditionem prædicarent. Vnde complures veteris prosapiæ & multarum imaginum viri, prima Catechismi rudimenta auidissimis auribus haurere: & si candidatis hisce promouendis omnibus satisfieri potuisset, ad multa millia numerus excreuisset; verùm ne fama per totam sese regionem diulgans, periculum nobis aliquando creare posset (nondum enim de Evangelio palàm verba facere licet) satis nobis fuit illis, qui maiori tenebantur desiderio, quorumque magis erat perspecta constantia, doctrinæ Christianæ rudimenta communicare. Præter multos, qui sacro fonte abluti, veram Religio-

gionem professi sunt, vnus, qui scientiarum variis disciplinis celebre sibi pepererat nomen, ceteris excultior florebat. Hic se medullam ipsam & secretissima libri Buppo (qui Iaponum hæreses complectitur) mysteria penetrasse gloriabatur: cuius conuersio tanto utilior fuit, quanto profundius in eo secta illa detestanda radices fixerat. Plurimorum itaq; infidelium permoti sunt animi, dum eiusmodi virum, à quo contraria omnia expectabant, intuentur Christi iugo colla submisisse. Quâ de causâ filius Nabunangæ viri admodum clari ac nobilis seriò tandem baptismalem fontem adire decreuit, eiusque exemplo id egit, quem cum antea collactaneum habuisset, nunc sacratissimi balnei lauacro accepit patrinum. Hunc non multò post, adoptiua Taicosamæ filia secuta est, & marito Cui-nagundono, fratreque Figendono, præcipuis Iaponiæ proceribus, in veteri caligine persistentibus, ipsa ad medentem aquam perrexit; nomen mutauit, aliud Mariæ accepit. In pago, non procul Meaco dissito, LX. annorum senex, primâ disciplinæ Christianæ explanatione

tione illustratus ad eò fuit, vt ad vltiora mysteria sese obtulerit. Hac itaque mente domum reuertit, incolas eius loci omnes, nouæ rei ignaros conuocat, quibus se dudum pro Bonzio, domum suam pro templo exhibuerat. Conueniunt illi, nec diu moratus senex, cum ita sermonem orditur: Mirum fortè vobis videbitur, ac pristinae consuetudini meæ non conueniens, alieno tempore vos esse conuocatos, & cum vulgò non nisi à vobis inuitatus concionem soleam appellare, nunc præter morem frequentes vos huc coëgisse: verùm eâ id ratione inductus feci, vt omnes commonefacerem, solitis superstitionisque conuentibus domum meam cauerent deinde violare, à quibus non iam minùs abhorreo, quàm antea lubens amplexatus sum. Ita enim, vnâ Catechismi sui explicatione Christianus me cõuicit, imò illustrauit, vt clarè perspiciam, Amidam hæctenus diuino à nobis honore cultum, indignum eo planè esse, animosque eorum qui extra Christianam legem viuunt, salutem consequi haud posse. Quare seriò animum induxi, eandem amplexari, æternum-

numque defendere. Infinitas portò creatori Deo, vero humani generis seruatori, grates ago habeoque, quòd tantà benignitate me dignatus sit, vt iuuentute in densissimis idololatriæ tenebris transactâ, senex tamen, aliquando depulsâ caligine, veram potuerim lucem intueri. Vnum doleo vehementer, non antè eâ me aspexisse; auctoremque exstitisse vobis religionis venerationisque exhibendæ ei, quem pro vero colere non oportebat. Vt itaque licet serò, quoquo modo iniuriam creatori Deo illatam, talionis lege compensem, quântâ possum animi contentione vos rogo obtestorque, vt veterè caligine depulsâ, me, quem hactenus ductorem secuti estis, meliore iam viâ præeuntem comitemini. His auditis, admiratione defixi, hæfere gentiles, & somnij instar rem nouam habuère, vix fidem facientibus oculis auribusque. Quamobrem vt ab inepto senem dimoueant, nihil non elaborant. Precibus rem aggrediuntur, incassum cecidere: minæ subsecutæ, nihil effecere. Perstat ille propositi tenax, & vxorem liberosque, pari secum animo Christianam

nam fidem amplexatos, ad sacras vndas perduxit. Quibus peractis, quantâ irâ gentilium animos inflammavit, rediuius illorum furor ostendit, quo è pago eum exturbare conati fuère: sed dum neque hoc illis è voto succedit, eum se proscripuros, & igne & aquâ interdicturos minantur. Ad hæc immobilis ille, ceu rupes, allatrantium fluctuum iras despicit, eoque feruore in religione Christianâ perseuerat, vt omnibus maximo patientiæ & fortitudinis exemplo sit: cuius opera nisi que, pagum illum fructibus & inquilinis nobilem, fide Catholicâ nobilior fore speramus. Reliqua, nisi tædium me ex rerum similitudine creaturum existimarem, innumera proferrem. Quis enim frequentem nouis flammis spiritum? quis sacram illud viuumque fidei nostræ, cui iam primas (vti debent) deferunt, incendium vllomodo complectatur? quis flagrantissimorum animorum præclara indicia? Multa sunt, & nimis fortasse legenti multa. Vnum dabo instar omnium.

Iuuenis annos natus xiv. mercaturæ causâ Nangasachum se contulerat, sed

ita

ita diuinitus factum, vt præter spem ad mercatum venerit meliorem: incumbente enim ad id Patruo, Ordinis nostri religioso, qui Nangasachi id temporis habitabat, verum lumen aspexit, & præclarum officij Christiani candidatum se præbuit: ad quod, morum Christianorum claritas, & diuini cultus maiestas, illum facilè pellexerunt. Baptismo itaque expiatur; Ioannis nomen sortitur. Paucis post mēsis Meacum repetit. Rem totam parentes intelligunt; intellectam tanto tulere acerbius, quanto maiori superstitione, cultores hæreseos Focheschiu (è quorum ipsi numero maximi erant) Euangelium detestantur. Cum omnibus igitur amicis, eiusdem sectæ asseclis, plurimos eum dies diuexant, inhihentque non solum ad ædes se conferat nostras, verum ne limen paternę domus vel passu transeat, iubent. Sed dum tanta adolescentis fortitudo, hisce familiarium suorum machinis non expugnatur; Bonziji aduocantur, quibus sæpe pluribus resistere, & disputando diem trahere compellebatur. Verum egregius pugil imperatis periculis superior, vt
erat

erat viuaci ingenio, hæc procellas subeundas sibi prælagierat pridem; contra quas mentem optimis præmunierat argumentis. Atque in primis, diuino succurrente auxilio, tam cautè insultantes vndique sacrificulorum fluctus declinauit, imò dispulit, vt damnum vel leuissimum passus sit numquam: atque post crebras procellas euitatas, sæpius obiectos spinosos, inflexosque, & calantes nexum sophistarum nodos, meliùs quàm Alexander Gordium, & tam aptè dissoluit, vt perstringi ab eis nullo modo posset. Quare freudentibus Bonziis omnibus, vnus etiam collegij Focheschiu Princeps præceteris furebat, qui quòd aliis præfectus esset, & ab omnibus oraculi loco habitus, peruersionem adolescentis committi sibi voluisset, vbi & propriis se telis iugulari sensit, & puerili manu, quietis omnis expers agitabatur: & ne sibi ceu victo ceteri succenserent, vndique noua argumenta contortulis conclusiunculis vibrata corrogabat; iuuenemque de nouo quotidie adoriebatur, vt victorem aliquando ex insidiis profligaret. Post crebras ergo
dispu-

disputationum luctas, fatigatus tiro, cum molestos Bonziji congressus fastidiret, neque tamen ineptum rabulam posset declinare; Age, inquit, & tandem obiectas plus nimio nugas sepone; aut, si ea te disceptandi prurigo cœpit, Patrum Societatis ædes pete: inibi que si argumentando Fratrem quempiam conuiceris, triumphum tibi decernemus, socij etiam ipsi in sententiam tuam ambulabunt. Pactionem accepit Bonzius, qui victoriam superbâ spe iam dudum deuorarat; certissimò enim sibi persuadebat, Fratrem nostrum, neruos suorum argumentorum indissolubiles esse inextricabilesque, fuisse crediturum; neque habiturum, quod tam validis telis machinisque opponeret. Ventum ergo in domum nostram, & cum aliàs frequenter inutiles huiusmodi velitationes, è quibus magno discrimine parui accersuntur prouentus, reiectæ à nostris fuissent, hæc tamen visum est non esse declinandam, propter importunam Bonziji prouocationem; nequis prudentem metum, ignauix nobis verteret, vnde detrimento forsan aliquo Religio Christiana affecta foret. Dies itaque

itaque dicitur: sed ecce nemo hîc apparet. Bonzius absens significari iubet, se propter diei sinistrum augurium adesse non posse; appariturum eo die quo sectæ suæ Auctorem annuo ritu venerantur; vt nempe felicîus ad certamen descenderet. Ille ergo spe optimâ triumphaturum se, disciplinamque suam celebriorem redditurum arbitrabatur. Die constituto, discipulo etiam Bonzio comite, eiusdem linguæ peritissimo iuvene, aliisque quos amicos habebat comitantibus, arrogantix plenus domum nostram aduolat; coque stipatorum numero cinctus, disputationem orditur: ac primùm speciosè præfatus, se suosque omnes, fidei nostræ complectendæ causâ, eò conuenisse testatur; proinde Catechismi explanationem expetere. Frater noster, quocum res peragēda erat, postquam consedisset, finitâ Bonziji prolocutione, Iaponum sectas, singularumque fundamenta rationibus conuellere ac refutare incipit; verbisque ex ipso Buppo desumptis (ita dictarum sectarum volumen magnæ apud hosce gentiles auctoritatis appellant) omnes tandem in
F athei-

atheismum, ceu flumina in mare, decidere commonstravit. Post hæc quaesitum ex Bonzio, num quid, quod in contrarium adferret, haberet. Hic ille, è vestigio pugnae suae tela aptare, asserere omnia, nihil probare. Cumque ob familiarem usum libri Buppo, quem se callere ad unguem existimabat, nullo negotio desumptis inde argumentis convincere aduersarium putaret, omnem in his sophismatis vim neruumque collocabat; verum Frater noster, cum profundius quam Bonzius ipse librum Buppo penetrasset, breui sane, magistrum discipulumque; (qui subinde ut promptitudinem ingenij sui probaret, sententiam etiam interponebat) eò angustiae redegit, ut ambo cum propriis laqueis se constrictos esse viderent, suo pallore turbati animi indicium darent; ac motu tanto fuerint perculsi, ut futilibus ineptisque responsis clarè indicarent, se non solum primos Buppo non intelligere terminos, verum etiam nec verba in eo usitatissima satis obseruasse. Ac licet discipulus eloquentiam copiosam disputationem aliquantulum sustinere ac erigere niteretur, & malis
magi-

magistri sui, velut nouo robore diffuso, mederi: tamen pari quo antè modo conuictus, eius etiam dictis contraria respondere incepit; ita, ut eorum ignarus quæ loqueretur, in eum quoque acerrimè inuectus sit, clamaritque, magistri eum se loco habere deinceps nolle, qui negotio, cui nequaquam debebat, implicuisset sese. Itaque commoto animo indignabundus, è conspectu eius se proripit, illumque in tantis angustiis destituit solum. in quibus se cõspicatus Bonzius, inermem disputationem miserè restituere orditur; sed & sensus pariter & verba, stupor ita abstulerat, ut quasi mentis expers, quo longius progredere, intricaret se magis. Apertius enim ignorantiam suam, obnixè pertinaciterque principia ac suorum librorum auctoritatem improbando, cœpit commonstrare: eoque iam res prouecta erat, ut Bonzius se cõmouere vix auderet. Vidisses hominem nubilam fronte, & naso indecente (ut aiebat ille) terram propè tangere. Adit eum lætitiâ gestiens prædictus Ioannes, ludibundusque; Hem, inquit, magister, quandoquidem sinistro Deo
F 2 pugna-

pugnatum sit, ut hinc, melioribus te armis instructurus, excedas clanculum, auctor tibi sim; atque ita validiori scuto munitus, scientiæ tuæ documentum daturus redeas. Quanto hæc dicendi libertas Bonzium pudore perfuderit, aut quo animo is in monasterium sit regressus, quæve ratione collegæ eum receperint, quiuis rei talis æstimator facile potest opinari. Hoc enim rei euentu, ita domestici eius omnes concitati fuere, ut præfecturâ abire, domo denique etiam iusserint excedere, indoctum clamatorem. Eius itaque rei fama extemplò Meacum peruolat, quâ oculati testes subitò totâ vrbe vulgarant. Lætari tum maximè Christiani, amplumque apud gentiles nomen acquirere. Quæ Fuscimi, Ozacæ, Foccoëi, aliisque in locis euenerunt, ad Dei gloriam extollendam sunt multa; ad tædium ex similitudine creandum, fortè etiam non pauca. Prætermittam ergo complura, sed portum aspiciens tamen; quem, post expositam quæ in regno Farima euenit historiam, stringemus.

In regionis huius pago, gentilibus frequenti, prope Toni arcem, infide-

lem

lem feminam dæmon inuaserat, quam tanto interiùs motu agitabat, ut instar lymphatæ mænadis discurrens, obuium furiis suis intactum sineret nullum. Quibus magis magisque instigata, arcem ingreditur furibunda, nulloque arcente, ad vxoris Toni gynæceum venit; hîc mirum in modum gesticulata, mimarum ritu, alteri vestem, alteri capillitium vellit, nullam deinde reliquit intactam, cui non negotij quippiam facefferet: aded, ut nec principi quidem feminæ parceret. Post multa & amentia & insaniam signa, in Christianam dominæ pedissequam fortassis incurrit, quâ visâ, velut hoste conspecto, celerrimè diffugit. Reducitur tandem coacta, dumque ei vincula iniiciuntur, ut cum eâ colloquatur, aduolat Christiana; cur se fugeret, rogatur; at incassum. furibunda enim, cum ab ea oculos flectere persisteret, quantum poterat vultum auertebat, Christianamque illam, laruam horrendam esse ingeminabat. Interrogata pedissequa, quid causæ esse opinaretur? ignorare se, dominæ respondit: suspicari verò, id cereæ bullæ, quæ è collo pen-

F 3

debat,

debat, vi fortè euenire. Dæmoniaca
ergo sacrum Agnum imponunt, quæ
ad tantam quietem subito composita
est, vt nexibus exuta, mali quippiam
machinaretur nulli, & ex crebrâ supra-
dictæ medelæ impositione omnino li-
bera euaderet. Gentiles tantâ ceræ
sanctæ virtute attoniti, eam vt vene-
rentur, à Christianâ expetunt. inter
quos similia illam portenta patrare ac-
cepimus, iisque plurimos excitos,
ad sacrorum præceptorum explanatio-
nem anhelare.



LITTERÆ
CHINENSES

ANNI M. DC. VI.

& M. DC. VII.

à R. P. MATTHÆO RICCI

Societatis IESV Sacerdote

transmissæ

ad admodum R. P. CLAVDIUM AQUAVIVAM

eiusdem Societatis Præpositum Generalem,

Latinè redditæ

à Rhetoribus Collegij Soc. IESV Antuerpiæ.

R^{DIS} PATRIBVS
 SOCIETATIS IESV
 in CHINA agentibus
 Gratulatio.

O Qui caerulei resonantia regna pro-
 fundi

Equoreosq; lares, indignantesq; procellas
 Pontiuago domuistis equo, non dura laborum
 Tedia vos capiant: non frustra rigentia ponti
 Claustra, & spumantes rupistis remige fluctus.
 Discite dura pati: laudanda pericula fructus
 Vincit, & immenso cedunt incommoda lucro.
 Hic licet Eois splendentia marmora venis
 Maurorumque trabes, miseris crateras ab
 Argis,

Araq; ab Isthmiacis, auro potiora, fauillis
 Aduerat; ille Arabum Cilicumq; reportes
 odores,

Velleraque è viridi tondent qua stipite Seres
 Fulgida lanigera carpentes munera silue;
 Nō vestras equabit opes: hæc præmia gemmas
 Exuperant virides, æra, aurum, marmor,
 odores.

Quid, quod inutiliùs quidam haud leuiora
 tulerunt?

Æsonides rapidū miseris animantibus æquor
Fecit iter, pelagiq; minas, tempfitq; minaces
Neptunifurias, atque implacata Charybdis
Antra, & Scyllai latrantia saxa pericli,
Harpuriasq; feras, insopitissq; refusum
Tractibus, auricomi custodem velleris an-
guem

Dyspalit, & rabidi metuenda incendia tauri
Phryxæam rapturus ouem; Danaæa propago
Carula præpetibus lustravit nubila plantis,
Ut raperet victi pretium Cephæida monstri:
At vos victores, errorum nocte grauatos
Chinarum populos, celsi super ardua celi
Culmina deuehitis: vobis quin tanta refertis
Præmia, fluenti quæ nō modò vellere Phryxi
Commutare velim; sed pro quibus omnia
linguam

Quæ quondam aurifluis collegit Cræsus in
vndis.

Gaspar Geuartius Rhetor
Turnholtius.

LIT-

LITTERÆ
CHINENSES

ANNI M. DC. VI. & M. DC. VII.



Admodum R. in CHRISTO Patri
P. CLAUDIO AQUAVIVÆ
Soc. IESV Præposito Generali.



vo iam sunt anni, cum præter morem nihil ad
R. Paternitatem ve-
stram de iis rebus, quæ
in hoc nouello Christi
grege geruntur, per-
scriptum est. In causâ fuere naues In-
dorum, quæ toto biennio nullæ suppe-
tierunt, solueruntque.

Litteræ anni M. DC. V. quàm statim
scriptæ, missæ fuerūt: præsentibus hisce
ea omnia complectar, quæ ad Octo-
brem vsque anni M. DC. VII. cum laude
fructuque gesta narratu dignissima
extiterunt.

F. 6

Sed

Verie-
bat
Corne-
lius He-
gelson.

Sed cùm is rerum nostrarum sit status, qui pro locorum habitationumque diuersitate, vno historiæ ambitu circumscribi non possit; perspicuitatis maioris studio, singulas nostrarum sedes, partito opere recenserebo. Hæc tamen quæ vniuersim rem omnem illustrare posse videbantur, putavi prætermittenda. Capita nostrarum, in habitationibus quatuor, censa sunt viginti quinque: quorum sacerdotes sunt tredecim, collegialis vnus, nouitij Chineses tres, tres item studiosi è Chinâ oriundi, alii que qui Macao huc appulerunt quinque.

Domus Sciancheo.

*Verte-
bat
Hieronymus
van
Seurck
Antuerpiensis.*

NON defuerunt in vrbe Macao, qui Chineses monuere, viderent, ne quid detrimenti Resp. caperet, quam deuastrandam obterendamque; sibi Patres Societatis Iesu destinassent, inito cum Lusitanis, Iaponiis, aliisque prouinciis socialibus consilio, eorum fauori machinationique velificante. Adiciebant P. Lazarum Cataneum huic factioni præesse. Quæ haud quaquam rumore dubitante, pronâ mox fide, credita fuere; maximè cùm & ipsum

sum portus Gubernatorem viderent, eadem tempestate (vt Hollandi, qui eò iam semel iterumque commearant, arcerentur) contiguum admodum Collegio nostro parietem moliri. Tutanus, siue vice-Rex Prouinciæ Cantonis, ad Senatorum ministrorumque suorum arbitrium, consilium omne retulerat, de eâ ciuitate vallis fossisque in omnem euentum amplectendâ, quæ Lusitaniæ totius opes & commeatus, ad se velut ad maritimum hospitium confluentes, recipiebat. At Mandarinij qui Lusitanis fœdere commerciorum coniunctiores erant, & in primis Architalassus, Præfectusque vectigalis Regij qui nobis hospitibus apud Macaonos vsi fuerant, non imprudentes quibus quantisque incommodis studia nostra conatusque huiusmodi consilia affligerent, Tutanum etiam atque etiam enixè obsecrando obtestati sunt, vti rumores eos inanes crederet, quos passim dissipatos nulla veritas, nulla testimonia confirmarent. Nihilominus tamen Feb. mense anni M. DC. VI. senatus bellici conuentum coëgit; ad quem, maiorum consuetudine abrogatâ,

gatâ, etiam Mandarinos illos, qui Magistratu defuncti priuato iam otio uiuebant, aduocauit: è quibus vnus fortiter pro P. Lazaro Cataneo (cum quo ei non vulgaris consuetudo intercedebat) sententiam dixit, viriliter contendens, omnia quæ de eo iam fama passim diuulgauerat, ne veritatis imaginem quidem vllam sustinere; se etiam paratum promptumque esse (si fors ita eorum voluntas tulisset) omnes hasce calumnias è fœdis mendaciis conflatas esse, demonstrare: adiiciens sibi apud animum obfirmatum esse, è vestigio Macaum abire, ad eam criminationem meliùs diluendam. at irritæ preces, & vana defensio cecidit; quippe Tutani Senatorumque aures pertinacia clauserat, abnuentium ad veritatis sese arbitriû conferre. Itaque edicto publico promulgatum est, in Cantone veluti arce Chinarum. principe, totiusque regionis capite, vt externi omnes & peregrini, ceu captiui contineantur. Neque vllus porro audeat, Hoxans, id est, sacerdotibus qui vnus Dei legem profitentur, & tonsum verticem gerunt (ita Societatis nostræ Patres vocant)

cant) vlla hospitij humanitatisque iura exhibere. Quòd si cuiquam lege contemptâ præuaricatio arrisisset, repente ad Magistratum deferatur, mercede accusatoribus propositâ, omnes rei delati fortunas facultatesque in ditio- nem possessionemque esse cessuras. Mandarinorum igitur curâ omnia vr- bis claustra arctissimis custodiis die noctuque seruantur, quæ ad subita bellorum excubarent. Nuntiatum plebi, vt oppugnationi defensionique idonea arma opportunè comparet. Suburbanæ ædes octingentæ, quæ mœnibus erant propinquiores, in planum datæ: reliqua bellico vsui necessaria, diligenti operâ conquisita. Castigati seueriùs insolentiusque qui officio deesse videbantur. Varij deinde motus ciuitatem occuparunt. Illi tot tamque insignium ædificiorum demolitionem deplorabant: alij armorû vim nimium incalescentem detestabantur. Hi nouâ animaduersionum insolentiâ terrebantur, multi vigiliarum molestias detrectabant, plures etiam credulam Tutani temeritatem condemnabant, qui vanis rumoribus, nullo certi auctoris testimonio

niten-

nitentibus, sed tantum ab ipsa fama diuulgatis, facilem adeo fidem habuisset, tantamque populo creasset molestiam, ac si Hannibal portis occupatis, urbis iugulo impendisset. Sed quod passim vano murmure susurrabant, id potissimum fuit, P. Cataneum, militem Macai cogere; nosque legis diuinae propagandae obtentu, auxiliares ipsi copias suppeditare; laboresque nostros in imbuenda litterarum disciplinis adolescentiam, eum dumtaxat scopum intueri, ut cum Macaensem omnem iuuentutem copiosissimam Chinesium rerum scientiam instruxissemus, in occupandis rapiendisque Mandarinorum magistratibus auxilio nobis essent: quod ipsi sane presentissimum rebus nostris adferre possent. Quapropter omnem ad Chinas aditum nostris deinceps esse pracludendum contendebant, eosque etiam exturbandos, qui iam inibi domicilia collocassent. Dum haec geruntur, Cantonem subinde ex nostris Franciscus Martinez ingreditur: quem Patres Sciauchiani, utpote Chinesem natione, ad P. Visitatorem Alexandrum Valignanum ablegarant, cum

eo mox Macao in Chinas transmissurum: quem ubi vitam excessisse cognouit, Patres Macai degentes, de suo in Cantonem aduentu certiores reddidit. Interea dum Macaensium in Cantone responsa opperitur, en tibi perfidum quemdam discipulum nostrum, qui innocetum defert ad Mandarinos, veluti exploratorem. Nec mora, confestim, & ipse, & comites eius iuuenes duo, hospitiique praeses, & duo eiusdem familiae scholares Christiani, Iudicis capitalium causarum iussu in vincula coniiciuntur. Mox de rei veritate quaestiones haberi, manus pedesque patrio illis more catenis constringi: simul tandem omnes mutilatis prope membris, e curia ad Fitanum Lusitanorum Iudicem remisere. hic rebus omnibus spoliatos, separato carcere, diuersos concludi iubet, mandarique custodiae Praefecto, ne vllum ad eos omnino admitteret. Et sane admirandum est summo opere, Fratrem Martinez quartana diu fatigatum, attritaque valetudine iam imbecillum, inter asperas tortorum carnificinas, qui summos illi digitos, inter carnis & unguium commissuras,

suras, arundinum acutissimis pinnis
 configebant, spiritum nō efflasse. Hor-
 tabatur ille inter tormenta cōpetitores
 martyrij sui, obtestabaturque memo-
 res forent se Christo nomina tradidisse,
 nec adeò delicta propria voluntariâ
 morte expiaturus, quàm Dei voluntati
 expectationique facturos satis, qui eis
 cruciatibus intrepido animo subeūdis
 vires subministraret. Nec Mandarinis
 postea, se Patrum Societatis imperio
 subesse, palàm confiteri dubitavit. Igi-
 tur arctiori custodiæ deinde mancipa-
 tur, vbi longâ inediâ confectus, multif-
 que incommodis fractus, aliquando
 tandem felicem spiritum, quem nature
 debuerat, Deo reddidit. Sepulchri for-
 tunam ipsi cum reliquis captiuis gen-
 tilibus, quos vltima suppliciorum ene-
 carunt tormenta, communem fuisse
 suspicamur. Rerum peractarum euen-
 tu per Sciauchum, urbem situs pro-
 pinquitate Cantoni cognatam, diuul-
 gato; quantæ eius stationis Patribus
 obortæ difficultates, quot labyrinthis
 curas eorum periclitata rei Christianæ
 felicitas distrinxerit, quòve in rerum
 articulo eos fortuna deprehenderit, iu-
 dicio

dicio vestro arbitrioq; committemus.
 Clamabatur à quibusdam, omnes nos
 tamquam nefariæ in regnum coniura-
 tionis socios, regione esse expellendos:
 dictitabant alij iam missos ab Aulâ ap-
 paritores, qui nos comprehenderent.
 Alij non minùs liberè quàm petulan-
 ter iactabant, eos, hisce exemplis &
 morum probitate neophytis præluce-
 re, qui diuinam legem prædicabant.
 Denique tanto seditionum impetu in-
 caluerat ciuitas, tantaque in nos tu-
 multuum tempestas sese erexerat, vt
 amicissimi etiam nostri, antiquæ con-
 suetudinis debita studia & officia præ-
 termitterent. Sed illud acerbissimum
 longè accidebat, quod nec Fratrem
 suum vinculis possent liberare; neque
 etiam de eo quidquam intelligerent
 Patres nostri, sublato atque intercluso
 omni litterarū commercio. Guberna-
 tor vicario suo stipatus, ad ædes nostras
 venit, censurus capita personarum.
 Nec multo post, sub auroram, Collegij
 nostri limina, ab aduersariis subiecti
 ignes comprehenderunt: verùm è ve-
 stigio discrimen omne præsentiori re-
 medio ablatum est. Profectò si tenebra-
 rum

rum intemperie flammis quodammodo velificante, in noctem ea incendia incidissent, non commodè adeò, ut nunc, cum Patribus nostris ageretur. Postera luce, Gubernatori infamem libellum hostes quidam nostri obtrufere; quo P. Nicolaum Longobardum de adulterio traducebant. Ille rem omnem examinandam Vicario commisit. Subinde à Mandarinis Pater efflagitat, ut sibi, præfente Magistratu, cum accusatoribus congregari, falsamque eriminationem diluere liceat. At nulli umquam Iudicibus apparuere, imò quo eis latendi certior euentus foret, ficta libello nomina fraudulentis homines subscripserant. Sed quod magnum fuit innocentiae nostrae testimonium, matrona ipsa, quae adulterij insimulabatur, passim per loca publica plateasque lymphatico gressu ferebatur, clamabatque; nec visu, nec cognitione umquam se de Patre eo quid percepisse, imò nec à vultu virum illum sibi notum esse. Ad hæc deos Iudicesque obtestabatur, & vindices diuinæ ultionis iras exostulabat. In hoc tam tristorum nostrarum statu, placuit diuinæ
cle-

clementiæ è curiâ Pachinensi Mandarinum quemdam, amicum Patribus Matthæo Ricci & Longobardo, ad Cantonis gubernacula assumi; qui rei veritate compertâ, Tutano eam aperuit, & mox negotij totius expeditio à Tutano ei commissa fuit. Ille ergo vinculis Christianos exuere, gentiles nostri causâ accusatos pristinae libertati restituere, aduersarios pro merito pœnis affligere, instituit. Profitebantur ij quos liberarat, si triduum adhuc in carcere iacuissent, inediâ & fame fuisse omnes morituros. Hic insuper omni criminis suspitione Patrem Cataneum liberavit; ignominiae maculas, eius nomini aspersas, publico innocentiae testimonio expurgavit, liberumque ei Cantonis transitum fiducialibus litteris præstitit. quo in loco simul collocti sunt, primaque hæc Mandarinum fuere verba: Tunc es ille Lazarus Cataneus? nescisne eos te in Chinarum Regem adlegere voluisse? vestrumque imperium, Dei regimen appellare? tum summam amoris benevolentiaeque significatione, abs se eum dimisit. Paucis post diebus Sciauchum venit idem hic Taulus

lus siue Gubernator; ei que P. Longobardus quam cumulatissimas gratias persoluit. Varias res, etiam ex Europâ allatas obtulit: erat in iis triangulare vitrum; quod adeò illi arridebat, ut maximâ hominum multitudine, omnibus audientiam præstantibus, honorem nostrum deprecans, iam deficientem propemodum æstimationem ab interitu vindicaret: nec priuatæ eius actiones opinionisque publicis præconiis dissentiebant: constat etenim, eum apud virum haud ignobilem, plurimas querelas de mœtore suo, & iniuriis falsaque criminatione nobis illatis, deposuisse; nec mediocri sibi dolori fuisse, homines (ut aiebat) summæ mansuetudinis, integræque virtutis, falsis accusationibus adeò impudenter affligi. Excepit hæc tempestatem noua iterum procella in Sciaucheanam Residētiam excitata: 400. homines, Bonziique complures, tumultuarij conspirant inter se, ut nostros apud Taulum (sic Gubernatorem vocant) accusent denuò. Ille attonitus primùm hæsit; mox plebis multitudine perspectâ, se quid velent, etiam è lymphato vultu, probè intel-

intelligere pronuntiat. Itaque quam primùm sedato iratæ factionis turbine, quisque sese in domum recipiat suam. Contrâ plebis insania furiis concitata, freta fortasse multitudinis robore, vi in tribunal irrumpere, criminationis attentam exauditionem exostulare. Gubernatorem initio rei nouitas percellit; deinde necessitati cedens, ut incommodis fortè grauioribus occurreret, acceptum libellum legit, & per obliquum ducta linea, velut obelo configit, turbamque omnem à se dimittit. Hoc viso, Bonziji, qui ad fores rei euentum præstolabantur, non ausi fuere porrò Gubernatori suum quem adornarant libellum offerre. Sed cum profano sæcularium hominum cœtu, ad alterius Mandarinum arbitrium, accusationem retulere. Ille ad iudicium Tauli confirmatus, causâ eos multauit; id dumtaxat libello subscribendum ratus, ut vni ex petitionibus obtemperaret: nempe sola hæc eius cura incumberet, quam primùm se, de nouorum Patrum in Chinam aduentu, commonefaciendi; seque haud segniùs in eam rem animaduersurum. Cùm ad Gubernatorem,

torem, gratias acturus adiisset P. Longobardus, pro sedato tam benignè in nos populi tumultu: Taulus ei dixit, collegam suum non alio prætextu, populi precibus acquieuisse, quàm quòd furiosâ eum rabie inflammatum credidisset, iussitque lætiori animo foret, pollicitus omnia ex animi voluntate feliciter successura. Quapropter tot Patres, quot necessarij erunt, ad aliarum stationum munia subeunda arcessere non desistemus. Sed ad civitatem Sciaucheo novos non antè evocandos esse arbitramur, quàm cum maximè illæ difficultates molestiæque, quæ Patribus in dies oboriuntur, paulùm mitigatæ erunt. Satis enim superq; fecerint ij qui hîc commorâtur, si tantùm calumnias quotidianas à Christianorum cervicibus propulsent atque amoliantur.

Domus Nanciano.

*Vertebat
Theodorus
Middelton
Antuerpiensis.*

Commorantur Nanciani tres Patres, studiosi totidem. Iustrarunt Baptismo anno M. DC. VI. triginta tres gētiles: & multo plures Christo nomen dedissent, iamque læta neophytorum
seges

seges nitebat, nisi in Cantone subita à Chinesibus infidelibus procella concitata ingentem rei Christianæ intulisset calamitatem. Allatus huc seditiois illius rumor est ab Ethnicis Chinesibus, eo ferè tempore quo destinatus ad nos à Patribus Sciaucheanis veredarius appulit, qui eâ de re litteras adferebat. Quare visum fuit pedetentim progredi; nec avidiùs quàm cautiùs infidelium conversioni manum admouere, dubiosque interim ac incertos rerum euentus in consilium adhibere. Sed singulari Dei prouidentiâ factum est, vt confestim oppressus rumor vagari latiùs non posset; alioquin hæc ciuitas, quæ vagos semper sermones aucupatur, suspicione ac timore nostri inquieta, perpetuum nobis indixisset exilium. Accedebat morbus P. Ioannis Soërij, ob quem in eodem vestigio hærere, & in medio quasi cursu sistere, necessum fuit; nec in Religione propagandâ progredi licebat, cum aliis linguæ ignaris, adesset quidem voluntas, facultas deesset. Huac multis negotiis districtum mortifera inuaserat febris, quæ cum annum integrum non minùs
G per-

pertinax quàm pernicioſa tenuiſſet; exhaustis iam, non tantùm attritis præ diuturno morbo viribus, miſerrimè emoriebatur. Iaque comploratâ iam à medicis ſalute, precariò tantùm, quaſi morte paululùm indulgente, vitam trahere videbatur; velut omnes dies, quos adhuc morbus reliquos feciſſet, in lucro eſſent. Nec eum tamen, quem ferè vita ipſa, vitæ retinendæ ſpes deſecerat; licet à ſociis, præſenti tâtùm morbo eius ſalutem æſtimantibus, ſecundùm patrium Chinenſium morem omnia ad ſepulturam ac funus parata eſſent. experiebatur in hoc morbo magna amicorum ſtudia, familiariumque omnium, ac Chriſtianorum præcipuè erga ſe officia amorisque ſignificationes. Non habebant qui Chriſtianis deinde ſacris apud eos operaretur. Nanchinum abierat domus Superior, alij ſacerdotes duo mox eum etiâ ſunt ſecuti. Quid agant, iam velut orphani, Patre etiam ſuo orbati? non ceciderunt ecce afflictorum animi. Quoties Feſtus aut Dominicus dies inciderat, ardentibus inſolitâ pietate animis, in ſacellum coïbant, magnumque temporis ſpa-

ſpatium orando ſupplicandoque extrahebant. Poſt ubi ad illos P. Ioannis Soërij periculum perlatum eſt, haud ſecùs quàm par erat moti, conueniunt circiter XL. cereisque accenſis ante Saluatoris imaginem genua flectunt, enixè pro illius ſalute deprecantur; ereptam reddi ſanitatem poſtulant. Crederes inter illos, pium quoddam, quis intentiùs, quis efficaciùs orare poſſet, certamen eſſe; & non pro alienâ, ſed ſuâ, Deum, ſalute deprecari. Nec incallum miſſæ preces; febris hominem reliquit, eumque & ſibi & ſuis reddidit incolumem integrumque.

Post reditum Superioris è Nanchino, in morbum periculolum æquè relapſus eſt; & ad imitationem ſuprà dictorum Chriſtianorum, quinque feminæ, in eodem ſacello, pro eius valetudine certas Deo preces perſoluere volebant: ſed cùm ſacellum eo loco domus eſſet, quo feminæ religioſi clauſtri lege peruadere non poſſunt, eas aditu prohibuimus. Illæ viros ſubſtituère, quorum preces, rem ſanè admirandam! ruruſ impendentia Patri pericula auerterunt. Vnde apertè liquet,

infideles conuersos, in diuini auxiliij
tutelâ conquiescere: quod duobus tan-
tùm sequentibus confirmabo exem-
plis. Christianę cuiusdã fœtus nouem
mēsibus grauidę exstinguitur in utero:
trepidare coniunx, in ancipiti malo
despondere animos, quid actio opus fo-
ret nescire: placet tamen necessitate
subigente, vltima vltimo in malo ex-
periri remedia. Adhibentur vicini,
consuluntur medici, nihil intentatum
relinquitur. Quid plura? artibus om-
nibus & remediis frustra conquisitis,
eius salutem in desperatis ac depositis
habent. Duplici igitur funere percul-
sus; &, quò se vertat, incertus animi, à
Deo auxilium petit. Erat Saluatoris
imago in secretioribus adytis: ad hanc
vota concipit. petit citato gressu cubi-
culum, ad imaginem accurrit, humi se
prosternit; oscula, preces, lacrymas
miscet; erumpit in verba diu secum
luctatus dolor: Scis Domine, scis, me
numquam nefario scelere leges tuas
violasse, iis semper obnoxium fuisse,
qui cum Patrono meo (erat is prima-
rius Mandarinus) mercimonia tractat.
Scio etiam vxoris meę vitam salutem-
que

que in tuâ manu sitam, in quam vnã
omnes meę spes reliquę, ob prolis fu-
turam orbitatem, inclinatę recumbūt:
succurre igitur, succurre, redde vxori
vitam, mihi vxorem; illi sanitatem, mi-
hi gaudium, me illi restitue; libera duos
in vnâ, vt vxor mihi, vxori vita rema-
neant: hoc præstito beneficio, me tibi
in æternum deuinxeris. Vix orationem
finierat; crederes illam, dum orationi
finem imponeret, partu abstinere: in-
noxia vxor mortuum effundit fœtum,
mirari circumstantes rei nouitate per-
moti, alius alium defixis oculis intueri,
miraculum omnes clamitare, vix sibi,
vix oculis credere, dum in feminę, cui
iam iam moriendum erat, incolumita-
tem, non in incolumitatis causam in-
tuentur. Primam hęc habes historiam,
dabo alterã. Mulier nomine Helena,
cũm connubiã nocte, animo in fom-
num profuso, quietem caperet, exper-
giscitur, subito tremore experrecta cor-
ripitur; horrendum facie monstrum
aspicit, quod laqueum gerebat manu,
eique in collum iniicere velle videba-
tur Christianam se esse voce trepidã
exclamabat mulier, quare in malam

crucem facebat ludibunda imago. Fugit hoc dicto abacta species; mox interpellat iterum dormitantem, nouum semisopitos oculos iactanti terrorem larua incussit. pellitur iterum eodem imperio verborum: ac tertium deinde reiecta, respondit ad vltimum: Nunc quidem potentiam meam diuino armata praesidio deludis, sed vlciscar in alia, quod in te nequeo; vna ex consanguineis tuam incolumitatem propria luet morte. Fuit hæc profecto non augurantis tantum sed scientis vmbra vox: manè in eâ familiâ, ancilla gentilis inuenta est repentino fato extincta.

Elapsis nouem hisce mensibus anni M. DC. VII. baptizati sunt CLXXXII. in quorum numero fuit vxor domini Petri, viri primarij, qui inter omnes Fidei nostræ & cultores & fautores eminent: vxor in Christianorum album nomine Mariæ trāscribi voluit: Vicini indignè id ferentes, cum grauitè eam increparent, quòd abiecto feminarum Chinensium more, externorum aspectum admitteret, marito etiam praesente; molestos illos interpellatores à se reiecit, diuinæ potiùs quàm patriæ legi

legi obsequendum dictitans; cum iam non patriæ, sed Deo seruiret, & per Baptismum renata, æternis vellet flammis animam eximere, in quas illi, si peruersæ superstitionis tenaces essent, præcipites ruerent. Vna ex vicinis iniquæ reprehensionis pœnas dedit, suoque damno didicit malum consilium consultori pessimum esse. Sex ei filij, adhuc teneræ ætatis, breuissimo tempore erepti sunt: relictis adhuc aliis duobus, qui debili in firmaque valetudine vsque adeò fatigabantur, vt non tam matris solatio quàm timori anxietati-que reseruati esse viderentur. Multum igitur de filiorum superstitem salute laborantem, domina Maria haud ægrè perpulit, vt Religioni nomen daret, & ab illo, qui vulnus inflixerat, vulneris remedium peteret; eandem manum quæ plagam dederat, opem daturam. Annuit mulier, vtpote quæ filiorum salute nihil potius haberet; infantulus alter, vixdum triennis, qui natu maior erat, Baptismo abluitur. Credas eum in Baptismo, non tam animo quàm corpore renatum: noua pueri facies, gratior aspectus, pulchriora cetera, ad

miraculum omnia. Alter, ætate minor, ut animo sic corpore deformis, alterius pulchritudini multum concedebat; adeò ut ille Apellââ quadam manu factus esse videretur, hic larvæ esset quàm homini similior. Mouetur miraculo mulier; quare & illum ad Iustrialem fontem adducit; familia tota, novum Christi cultum professa, præcedit. Nec parentes Deo ad fidem meliorem vocati defuere; ilicò omnia, quæ in domo erant idola eiecere, vana impietatis monumenta auersati. Tres Christiani, mater, filius, & nutrix, Deo supplicabant, ut prolem sibi masculam, ad stirpem stabiliendam, largiretur. Cùm mulieres in eum finem precatorias coronas voluerent, & Petrus (hoc erat filio nomen) Sacro quotidie interesset; audit se de immani quodâ parricidio (quod apud Chineses atrocissimo plectitur supplicio) apud Iudicem accusari. Tenet immotum vultum iuuenis, tam insolito nuntio vix percussus; domum reuertitur, Saluatoris imaginem quam in cubiculo reconditam habebat, exprimit; eam parentibus amicisque, qui ad deplorandum illum confluxerant, Magi-

Magistratum quoque apparitoribus ad eum comprehendendum immisissis, spectandam proponit. Credas illum scelus sceleri velle adiungere, non crimen obiectum diluere. Nec sibi & innocentia suâ confidenti, Deus defuit. Breui enim, ut ignis in aquam coniectus, continuò restinguitur & refrigeratur: sic illud referuēs falsum crimen, in purissimam & castissimam vitam collatum, statim concidit & extinctum fuit. Ipse namque homicidij patrator, cùm capiti suo timeret, vtrò in innocentem hominem crimen regesserat; ut scelere scelus tegens, in alium & eadem & debitum cædi supplicium transferret. Sed innotuit Iudici deprehensa hominis fallacia, & Petrum ante xx. ab accusatione diem, pro suggestu, circumfusâ populi multitudine audiente, innocentem integrumque pronuntiat; addit insuper scriptum evidens veritatis testimonium, ut non minùs innocentis hominis vitam voce quàm tabulis etiam tueretur. sic semper veritas, sic innocentia, vbi premitur, resurgit; vbi se mendacia ostendant, emicat; vbi ab hoste laceffitur, vincit.

Baptismi virtute infantes duo, simul atque eo tincti fuerunt, variolis liberati sunt; qui morbus illius regionis pueris maximè solet infestus esse. Sed admirabilior sequitur euentus. Filius vnicus medici nostri eodem affligebatur morbo; summum id dolorem patris animo iniecit (quod & sæpè nobis factus est) tamen nulla humana remedia tanto malo erant paria. Dolore igitur & amore erga filium amens, (vt est ingeniosus parètum in filios amor) experiebatur omnia; ne priùs ipse filium quàm spiritus deseruisse videretur; sed incassum. Itaque Patres nostri pendentem animi, & de filij salute desperantem, aggrediuntur; oblatam occasionem arripiunt; de Baptismi efficacità differunt; æquum esse contendunt, cùm eius fidei, Patris Ioannis Soërij tam grauius ægri salutem committant, vicissim filium suum nostræ fidei credat, eumque sacro fonte tingi velit. Illud prætereà commodi accedere, si illum à Baptismo mors eriperet, salutis æternæ compotem fore, & non tam filiū amissurum, quàm Deo communi omnium parenti redditurum esse:

esse: nec inde vllam eius sanitati iacturam allatum iri, cuius vitæ iam planè diffidebat. Passus est sibi rem persuaderi medicus, secumque sacerdotem filij baptizandi causâ abduxit. sacerdos familiam mœrore luctuque confectam, ægrique cubiculum superstitione vanitatis commentis refertum apprehendit. Chineses enim maximi superstitionis cultores, spiritum quemdam esse comminiscuntur; qui, vt apud Romanos, penes Dictatorem itus vitæ ac libertatis ciuium fuit, in pueros eo morbo deiectos summum habeat imperium potestatemque, aut sanandi eos aut interficiendi, pro arbitratu suo. Quare malè creduli parentes, quando hoc malo eorum liberi diuexantur, pro cubiculorum, in quibus decumbunt, foribus, speculum suspendunt; vt, cùm ille in puerorum vitam infestus accedat spiritus, imaginem suam, repercussente speculo, intueatur; nec propius audeat gradum inferre, se detectum ratus. Sunt plures in hac gente huiusmodi futiles superstitioneque nugæ, quas omnes Pater dispulit, altari, cui Saluatoris imago imposita est, erecto; simul-

simulque cum ipsius medici filio, alios tres illi coætaneos sacro fonte abluit. Placuit Deo, ut manè, variolæ, quæ ad interiora membrorum se receperant, toto iterùm corpore diffusæ, foris apparerent; ita tamen, ut timor periculi tantùm absque periculo esset. Mox enim illa pestis toto corpore antea dispersa, nullo sui indicio relicto, euauit; mirantibus simul & gratulâtibus amicis; parente præsertim ac auo, qui tum, & aliàs sæpè, in sacello nostro cumulatissimas Deo gratias venerunt persolutum; hocque miraculum non exiguo fidei Christianæ incremento, honore ac beneuolentiâ eorum, qui eam & prædicant & profitentur, per totam urbem dissiparunt. Narrata est medico credenti historia filij reguli in Capharnaò, qui euentu simili, *credidit ipse, & domus eius tota*, sponditque etiam ipse se idem esse facturum.

Mulier cuiusdam Ethnici, qui diuturno implicitus morbo, oculis simul captus, cum gemino quasi malo impotens sui luëtabatur, de viri salute non parum anxia nostros consuluit: agrum protinus Frater quidam inuisit,

sit, spondet remedium, bono eam animo esse iubet, hortatur idola omnia eiiciat, illis eiectis profugam quasi viri sanitatem redituram: rogat, Christianorum adiungatur cœtui; virum, ubi morbo solutus fuerit, in sui imitationem pelliciat: paret mulier, idola omnia confringit, sæpiùs sacrâ aquâ ægro-tantem lustrat; vix illuxerat dies, redit oculis visus, menti sanitas, corpori valetudo; nec mora, Baptismum cum vxore suscepit, ut qui antea corporis oculos ad commune lumen hauriendum, nunc & mentis oculos ad fidei lucem accipiendam aperiret. Nec sibi tantùm, verùm & aliis suo exemplo profuit, octo enim eodem miraculo permouit; multiq; è locis vicinis ad eius facti imitationem comparant sese. Quidam ex iis, quos iam memorauimus, cui in Baptismate certis de causis Petri nomen indidimus, adeò feruenti religionis Christianæ propagandæ desiderio est incensus, ut non tam Petrus nomine quàm ipse Petrus esse videatur. Alter, qui fatifcente salutis spe, totus pessum ibat, in phthisim lapsus, colliquato iam corpore, lentâ tabe consummeba-

mebatur, multamq; sanguinis copiam ore effundebat: parens, qui non parum doloris ex filij morbo perceperat; Petrum rogauit vti pro valetudine ipsi restituendâ apud Deum precibus ageret. Ille extemplò morem gerens, cubiculum in quo æger decumbebat, ingreditur; acriter eum de vitâ malè actâ increpat; diuinæ vindiçtæ ipsius capiti imminentis metum intentat; ipsi non salutem, sed æternum deberi exitium ostendit; cùm ob proiectos vitæ mores, sanitate sit indignus & Baptismo: post fusâ prece, iratum pro eo Deum placauit. Extemplò sanguinis fluxus se cõtinet; phthisis, quæ absumptum ferè corpus exhauserat, discedit. Sed non ille, morbo eum deserente, vitia etiam deseruit; breui ad ingenium rediit, receptæ sanitatis immemor. Cùm itaque in peius denuò verterentur omnia; Petri iterùm precibus desperata eius salus, fuit restituenda; qui nobis retulit huiusmodi orationem se fudisse: Satis video, Domine, obfirmatum huius in sceleribus admittendis animum nullis meritis flecti posse; beneficiaque quæ in illum conferes, in eius perniciem

non

non salutem cessura: obsecro, ne tamen plus apud te valeat obfirmati hominis constans nequitia, quàm Christianæ fidei promouendę cura; neve magis iræ tuæ consulas, quàm clementiæ: nisi enim fides, quæ in hoc effæto gẽtilium solo semen aliquod vix dum iecit, fecundo miraculorum rore irrigetur, vix vnquam pullulare poterit. Te itaque obtestor, vt noua beneuolentiæ tuæ dona, in hanc, licet aridam, terram depluas; si non hîc, alibi certè, fructus existet copiosissimus. Reualuit statim æger, sibi que est redditus. Sed ô detestandam hominis pertinaciam! etiamnum sibi, non Deo viuit; nec eum, aut acceptum à Deo beneficium, aut fratris beneuolentia mutauit. Tanta illi vel in erroribus tuendis tenacitas, vel in perditâ vitâ perseuerandi cupido fuit. Non ita se gessit eius parens, filio multùm sanè dissimilis, qui acceptam semel fidem ita fouet alitque, vt maiores in dies pariat fructus. Dæmon communis humani generis hostis, in domo hominis Ethnici, non parum omnia infesta habebat. Anceps erat id malum, quod domus inquilinum non

leuiter

leuiter fatigabat: iamque incerta animo consilia voluenti, nuntiatur, Christianos legis diuinæ cultores, optimè illi malo mederi posse. Accersit protinus affinem suam Christianam; illa non tam suo quàm diuino munita præsidio domum ingreditur, dæmonis furorē continet, solitos terrores cohibet. Sed iam nox appetebat; itaque præceptis diei tempus causata, discessum meditabatur. Ille nihilominus, vt reliquâ illic nocte subsisteret, omnibus modis efficere conabatur. sed incassum: vt tamen aliquod & sui in eum amoris & auxiliij pignus relinqueret, precariam suam Coronam cubiculi foribus appendit. Mirum dictu! crederes non tam Rosarium quàm ipsam remansisse: sic illud, eiusdem veluti in infernales spiritus imperij heres, insolentem dæmonis rabiem vicinis sibi locis compressit; cùm in reliquâ domo infano quodam furore victoriæ suæ iura exercere videretur. Cùm hæc ad Christianum quemdam perlata essent, sanctissima nomina, IESVS & MARIA, omnibus eius domus cubiculis præfixit; quæ velut excubias pro inhabitantium salute agen-

agentia, dæmonem perpetuò proscripserunt. Loco quodam vicino dæmon malè admodum puerulum quemdam habebat; postulabatque, pro se loquente idolo, exhiberi sibi comœdias, epulas instrui, aliaque complura. Illi, rei conficiendæ gratiâ, protinus magos consulunt. Ad Christianum eius facti rumor peruenit: ille verbis quàm potuit abiectissimis, Ethnicorum insanix illudit. Non ferunt illudentem Ethnici: se virium eius periculum facturos spondent: nihil ille contra; ad Petri tantum auxilium recurrit: hic cum gentilibus paciscitur, vt, si dæmonem ipse fuget pellatque, multam certam pendant; se vicissim, statæ mulctæ reum fore, nisi id de quo conuentum erat adimpleuisset: placet omnibus conditio. Petit itaque supradictum locum, quinque aliis Christianis comitantibus, qui cum illo orationibus itineris tædium leuabant. Vix domum ingrediuntur, tabulas paratas, expedita agendis comœdiis theatra, varium omnis superstitionis apparatus, puerum denique grauiter afflictum offendunt. Huic ecce, omnibus adstantibus,

bus, nullo tamen auctore deprehenso, vehemens ictus ab occultâ manu infligebatur. Illic Petrus ad dæmonem fugandum se comparare, hortari omnes ut Christi fidem amplectantur; dæmonium ita certò ab iis esse abiturum. Quid plura? crucis signo formato fugiunt ecce mali spiritus, victorem suum mille cõtumeliis incessunt; gentiles magisque omnes vim subitam obstupescabant. Nec deinde vllum similitum terriculamentorum vestigium ibi deprehensum est. His aliisque faustis eventibus ita per Nanchianum diuinæ legis fama percrebuit, ut quocumque iter habeamus, hæc quotidie acroamata, Christianorum, contra inferni hostes, victoriam decantantium, auribus nostris occinatur. Hinc ergo Christianis, ut fortiùs in fidei stadio decurrant, calcar additur; summa apud gentiles admiratio, maiorque de nobis opinio consequitur. Neminem omnino reperire est, cui non in penatibus Saluatoris est imago; imò plurimi, die noctuque cereis ante illam accensis, in Deum studia testantur. Catechumenus quidam, vir nobilis, sexagenarius, cum Baptismi

reci-

recipiendi gratiâ, ædes nostras adiret, binas secum candelas detulit, ut eæ, cum lustraretur, accenderetur: ille ingenuè nobis postea indicavit, se, antequam id palàm agere potuisset, varia incerto animo agitasse, cum tacitus secum, quæ in vtramque partem hinc fidei amor, illinc ætatis ratio, hinc Deo obsequendi cupiditas, illinc futura de se Ethnicorum opinio animo subiiciebat, æstimare conferreque incepisset. Sed vicit se tandem, litemque quam intus secum agitabat decedit; quando non à suâ vel nobilitate vel ætate, sed à Dei amore, (cui illa demissio placitura erat) quid super eâ re ageret, consilium petiit. Alter eiusdem ætatis senex, eodem animo ad Catechismum accedens, prolixo itinere, saccum Padogibus ligneis refertum humeris sustulit; nihil pensi ducens, quæ in illum scommata homines iactarent ob insolens illud onus, quod præter gentis morem humeris moliebatur. Matriona quædam, recens à nuptiis, sine mariti licentiâ, sacro fonte abluta fuerat; qui vbi aduertit eam idolorum cultu repudiato, Saluatoris imagini honores deferre, barbarâ

barbarâ ferociâ animum stimulante
 iraq; præceps, crudeliter in eam sæuiit,
 nec tamen quam semel fidem suscepe-
 rat, vlla crudelitas extorsit. restitit illa
 semper in femineo corpore animum
 verè virilem nacta; nec eius constantia
 mariti furore ad lapsum tentata nuta-
 uit vniquam: sed cùm se ab eo iniquiùs
 haberi quereretur, præsertim quòd
 suscepto Baptismate non segnìus rei
 familiari intenta esset quàm olim, se-
 que totam ad obsequendum coniugis
 voluntati, quoad fieri posset, fingeret,
 aliquando tandem mariti ira mitigata
 est; qui nullam ei deinceps acerbitatem
 attulit. Petrus (de quo suprâ mentio)
 dum anno M. DC. VI. conuersus fuit,
 summas difficultates sustinuit, vt se
 Bungiorum molestiis expediret, qui-
 bus antè copiosissimas elemosynas
 erogabat, ei que post susceptum Bap-
 tisma, homines improbi tam extitere
 graues atque importuni, vt non rarò
 ad arcendam eorum audaciam vi opus
 fuerit. aliquando raucus ad nos venit;
 tantâ erat vsus verborum contentione,
 vt sex eorum abigeret qui obstinati
 omni ratione elemosynas emungere
 cona-

conabantur. Queruntur miseri homi-
 nes, multorum prætereà se liberalitate
 destitui; futurumque aliquando, nisi
 gentiliùm conuersioni obuiàm eatur,
 vt ad vltimam inopiam redigantur.
 eadem sunt institorum lamenta, qui
 anathemata Pagodibus suspendenda
 diuendant, quibus hoc anno non pa-
 rum lucri decessit, ob paucitatem ho-
 minum qui eorum officinas frequen-
 tant. Illud certè non exiguæ nobis con-
 solationi fuit, gentiles iam recens fidei
 nostræ documentis imbutos, nemine
 omnino instigâte, antiquorum tantùm
 Christianorum, quos necessitate aliquâ
 contingebant, exemplo illectos, vtrò
 se sacris aquis expiandos obtulisse. Se-
 nex quidam, familiaris sui cognitâ vo-
 luntate, quam de Christi fide comple-
 tẽdâ habebat, propositum illud præ-
 dicare efferreque non destitit, quod
 sibi etiam exequi in votis erat; asser-
 batque, quamuis hætenus huius legis
 expers fuisset, eidem tamen & multum
 veritatis & sanctitatis tribuisse sem-
 per, cùm ex filij moribus fidei nostræ
 virtutem æstimaret, qui nunc non reli-
 gionem tantùm, sed mores mutasset;
 cùm

cùm antea perditâ suâ vitâ non leues illi dolores inureret, attenuatasque rei familiaris opes, profundæ libidini sumptus quærendo, decoqueret.

Domus Nanchinensis.

*Verte-
bat Ia-
cabus de
Cæter,
Ant-
serp.*

PRæter domus Superiorem, Christianorum omnium patrem, duobus hisce annis, Nanchini duo trèsve sacerdotes, scholasticis iunctis tribus, & coadiutore vno, habitauere: sacro fonte sex supra nonaginta lustrati; quorum nonnulli subsequentibus epistolis referuntur.

Superiorum annorum litteris, de constantia feruoreque adolescentis adhuc catechumeni, scriptum fuit. Erat is filius Mandarinum, in aula eâ quam Coli vocant; cui viro, Regem de iniuriis aliisque aulicorum ministrorum noxiis admonere, ex officio incumbit. Cùm in aliis omnibus, tum hoc potissimum munere, Rex optimæ fidei hominibus, sui minimè studiosis, solitudinis recessusque auidis, uti solet. Quibus omnibus cùm admodum hic homo emineret, illud tamen habebat peculiare, quòd quasi domo inclusus dege-

degeret. Contigit aliquando domo egredi hominem, & ad idolorum se delubra conferre. Interea oportunum desiderij sui tempus nactus est filius: necessariis enim fidei rudimentis perceptis, ad ædes se confert nostras; inibi que ex Christiano præceptore hauserat documenta, Superiori domus nostræ, promptissimè recitat, rogans obtestansque sacri fontis lauacrum: aliam tamen opportunitatem placuit opperiri; bis terve interim optatâ nobiscum agendi occasione intercurrente, varios inter se, Bonziosque parenti suo perfamiliares, disputationum euentus retulit: tandem etiam renasci obtinuit. Alius deinde adolescens, in quo nobilitati veteri debita constantia responderebat, eruditissimi Christiani affinis, pridie eius diei, quo (ut Christianâ doctrinâ perficeretur, sacroque fonte expiaretur) se ad nos venturum sponderat, manè lacrymabundus, ex aui funere accurrit; quodque promissis eo die satisfacere non posset, ignosci sibi petiit: aiebat imperare se animo nequissime, quin præfixo tempore præsens saltem esset; ne absentia, mutabili-

bilitatis alicuius suspicionem daret. Consiliorum filij certior factus parēs, societatem cum nostris initam abscinderet, imperavit; quos velut extraneos, lege, moribus, institutisque Chinesium toto cęlo diuersos dicebāt. quem è vestigio filius hisce excepit: cum patre quidem hoc in negotio commune habere nihil; si verò patrui sui, non mediocris prudentiæ viri, qui eiusmodi hominibus decipi se lubens patitur, insisteret vestigiis, reprehensionis obnoxium se sibi non videri. Fecit non segnius quàm dixerat adolescens, & paterno spreto imperio ac minis, Christianis se adscripsit. Singularis quoque feruor iuuenis alterius extitit, qui mercaturæ studiosus, Catecheseos sacrâ disciplinâ auditâ, peculiari ratione illustratus, maximo animi sensu, in frequētissimâ adstantium coronâ, cum S. Augustino exclamauit: Serò te amaui Deus meus, serò te amaui. subiecitque hoc vnum grauitè deplorare. Maiore igitur pietatis motu, lustrali aquâ ablutus, meliores imò viuas circumquaquæ Christo merces colligere studet ardentius, quàm proprio quæstui inuigilare.

nam

Nam consanguineo vinculo consuetudineque sibi iunctos, vt exhortationibus nostris intersint, adducit impellique. Frequentè etiam longissima itinera, licet pluuiis cęlo, vtrò suscipit, vt aliunde ad Catechismi auditionem comites conquirat; quin imò sollicitâ prece adhortationeque crebrius instat, vt familiaritatem nostram affectent. Inter hosce, quos diligentissima adolescentis opera ad Christianorum societatem traduxit, ludi litterarij Magister censetur, qui Baptismate nondum expiatus, huiusmodi argumētationum iaculis (obortâ de Christianorū legibus disceptatione) vsus est; vt facilè aduersarios fuderit omnes, turpique silentio victos se esse, iusserit confiteri. Medicinæ quoque peritus (cui rerum vsus singularis famam maximam conflauerat) à quo principium & auctorem rerum omnium addisceret, dudum sese Magistrum quærere, aiebat. Tandem in Bonzium incidit, ex quo nonnullas de perfectæ vitæ ratione leges hausit. his non contentus, de Sociorū habitatione edoctus (quorum ingens ad aures eius fama pertigerat) ad eos accedit: sacram

H

fidei

fidei explanationem summâ attentione audit, magnoque spiritus ardore ad salutare aquas anhelans, iis potitur: eo inquam ardore cupiditateque, ut non leue futuræ fortitudinis reliquerit argumentum. Cùm enim naui iter faciens, de veri Dei magnitudine fortiter differuisset; eò indignatio aduersariorum euasit, ut ad pugnam veniretur. Quo ex euentu, nauæ plus viginti, auditis de Deo rationibus, à Christiano itineris comite illustrati, postque sufficientem instructionem, portum nacti, sacro fonte renati sunt. Et frequentius accidit, ut ex nimio sensu amoreque, quo ad religionis nostræ mysteria percipienda incendebantur, sui immemores, domum redeundi opportunum tempus sæpius haud obseruarint: nosque, ob longinquum quatuor milliarium iter, eos hospitio excipere necessum fuerit. Sed illi, utilioribus quàm somno studiis, noctem trahabant: pars doctrinæ Christianæ operam impendere, pars rudioribus eam communicare, pars de eius veritate & luce, sectarumque gentilium caligine disceptare. Primâ verò affulgente aurorâ

rorâ Dominicam orationem, aliasque, voce adeò elatâ, diuinæ maiestati recitabant, ut à prætereuntibus perciperentur: quorum è numero, vnus Præcepti sexti explanationem audiens, perpendensque se id annorum quindecim decursu toto violasse, palàm confessus est: sed cùm tanto debito, ex Christiani hominis munere, satis fieri necessum esse videret; vitam malè antea actam ad frugem meliorem recepit se esse traducturum. Nec defuere, qui morti proximi, Baptismo, subito ex ipsis orci faucibus extracti, meliori vitæ redonati sunt. Quos inter 70. annos nata anus fuit. quæ cùm Christi militiæ inscribi, filiis ethnicis obstantibus impredientibusque, desideraret; nec instantis mortis periculum moras pateretur, altero suo filio Christiano contra fratres impavidè ad id adnitente, voto potita est; duosque intra dies, lucrata sese, depositum Deo soluit. De altero quoque ægro nuntium adferebatur homini, qui in æde nostrâ sepulturæ intererat defuncti Christiani: properandū esse aiebant, si patrum suum (is erat de quo noua ferebantur)

viuum adhuc vellet intueri. Paruit ille, Fratrumque è nostris quempiam comitem poposcit, vt resipiscere fors desideraturo medela non deesset. Perrexere ambo; ad ægroti domum venere, quem extremâ in luctâ anhelantem deprehendere: de Deo itaque verba facta. Christum se æger eiusque religionem exoptare aiebat: cui pro tempore, de fide nostrâ edocto, factum est satis; & mediæ horæ interuallo peracto, è misero mortalitatis carcere ad æternam libertatem, baptismali aquâ perfusus, euolauit. Quo in statu rebus nostris constitutis, de legis Christianæ veritate documentum, Dei benignitate ingens datum est. Die quodam, Christiani duo mechanici, cum gētilibus quibusdam, de miraculis Dei beneuolentiâ patris, verba habebant; quibus subiunxere infideles: Si ita se res habet, quid ni fanaticæ possessæque mulieri, vicinæ nostræ, libertatem impetratis? videbatur infelix illa femina, ex solis ossibus compacta moles, cute extrorsum inductâ; dæmonemque nunc his, nunc illis indutum figuris, sibi insultare aiebat; nonnumquam in capitis

orna-

ornamentum violentè grassari; sæpè ignis ingentis specie apparentem, inane incendium obiectare, hominumque ad vanas flammæ opprimendas confluentium sollicitudine summè delectari. Petebant hanc Bonzj cum idolo, funalibus item flagrantibus, librisque exorcismo commodis: quò vt peruentum est, aram exiguam rei huic aptam exstruxerunt; quo conatu irritatus dæmon, supellectilem omnem solo afflixit. Hoc in tumultu, Christiani imperterriti; obsessæ feminæ, simulque mariti ac patris (si optata liberatio tequeretur) promissam conuersionem lato animo accepere: Patribus eam nostris in fide Christianâ instruendam, Baptismoque abluendam tradidere. Post signum Iesu in eius domo suspensum est, cuius virtute abactus dæmon, ab ipsâ etiam muliere, quæ victoriam obtinuit, profugere palàm visus est. Inter hæc, tria hominum millia Nanchini cōiurant, quorum princeps ductorque præcipuus, iam Rex Chinarum designatus erat. Solemnis Mandarinis est consuetudo, diebus quibusdam sub auroram, ad honorem mortuorum Re-

H 3

gum

gum mausoleis exhibendum, in locum paucis ab vrbe stadiis, conuenire. Quos vt velut indagine nescientes imparatosque cingerent, interimerentque, singulis eius necandi prouinciam sibi sumentibus, in cuius officium post erant successuri, inter coniuratos conuenerat. Ad Prætoris album res delata est; proscripti omnes; capti, qui capi potuere; quorum è numero in crucem acti septemdecim. De Rege declarato, aliisque sex, capitis supplicium sumptum; cadauerumque trunci, quatuor in partes diuisi: alij sceleris consortes, ligneis inclusi collaribus (quæ ad staturam hominis fune à terris erant sublata) longam mortem trahebant: id namque supplicium non aliam corporis compositionem permittit, quàm extremam articulorum stationem: miseram quidam vitam duodecim, alij quindecim dierum spatio infeliciter concluderunt; tam lenta pœnis illis mors venit. Antequàm de his sumptum erat supplicium, vulgarunt nefarij quidam calumniatores eos omnes fuisse Christianos. Faber quidam lignarius, cum interuallo longissimo exclusus

esset,

esset, quo minùs pro voto venerabili Missæ sacrificio interesse posset, alia consilia circumspexit. Cum aliis ergo eius artis studiosis, vt per vices, diebus solemnibus Festisque in mutuas ædes confluerent, egit, ad orationes suas, Rosariique preces, virgini Matri ante eiusdem simulacrum offerendas. Multos iam menses sancti huius decreti tenaces perstiterant, cum ecce inuidia orta: alij quidam fabri liuore correpti, odiis malè fabricatis, mulctam ab eis exegere; imaginem sacram ante Pagodes vt exurerent, deosque pristinos adorarent, imperauere: minæ etiam superadditæ ni parerent; per coniuratorum patronos fautoresque accusandos fore: iam enim, idem ob facinus, Mandarinorum imperio, Patres etiam Societatis, custodiæ esse mancipatos. Idem Christianus, pro sociis vnus respondens, mulctam quidem ceterorum nomine persolutorum se recepit; priùs tamen passuros pernibus equis distrahi sese, frustatimque concidi, quàm aut imaginem cremarent, aut gentilem denuò legem amplecteretur. Die sequenti rem habuit cum aduer-

H 4

fario-

fariorum altero, homine longè omnium scelestissimo, qui iniuriis verberibusque onustum, imminente iam nocte, obscuro inclusit tugurio; in quo frigore cōfectus, extinctus propemodum est: iamque sub primum diem, Gubernatori eum sistere homo nefarius cogitarat: voluit Deus hoc facinus Christianis quibusdam patefactum, qui ad nos deferrent. Superior cum Gubernatore rem egit, peregitque: & faber non solum libertati redditus est, sed id etiam obtinuit, ut si lubuisset, hostem posset opprimere, quando in eius sæpè fuerit potestate. Hoc successu erecti Christiani, arcem fidei magis munendam, magisque defendendam esse arbitrati sunt. Hac enim tempestate, è fidelibus non pauci, sanguinem se vitamque profundere malle, quam vel minimi teporis notam præ se ferre, palam professi sunt: alij, caput sibi prius truncari, quam cælorum Reginae imaginem concidi, passuros: & si proscriptionis tempestas oriretur, Mandarinis se Christianæ legis tabulas exposituros, communicaturosque dixere; è quibus intelligerēt perspicuè, quàm

à re-

à rebellionibus proditionibusque eiusdem legis professores abhorrent. Ob omnes hæc seditio procellas, Christianorum ad nos cōcursus paulò languit; quem tamen quietiori tempore copiosius instauratum iri speramus.

Domus Pachinensis.

Commorantur in hisce ædibus tres Patres, Frater vnus studiosus, & nouitij duo. Anno M. DC. VI. sex supra triginta sacris vndis expiati sunt, exceptis infantibus quibusdā expositiis, quos Pater Matthæus Riccius sumptibus ac impensis Residentiæ educari iubet: quo exemplo adducti duo tresve Mandarini, summâ prudentiâ & virtute præstantes viri, idem præstiterunt. Ipso Paschatis festo, Baptismum suscepit pater Domini Pauli, vir LXXIV. annos natus: & quòd id temporis filius sese in aulâ regiâ præsentem exhibere coactus esset, sub vesperum ad nos cōgratulabundus accessit; narrauitque quàm felici Marte, prosperisque præliorum euentibus, in quibusdam expeditionibus victor euasisset. Adolescens copiis rei familiaris locuples, & in amplissi-

Verte-
bat
Gasp
Gesar-
tus
Turn
honta-
nus.

plissimâ familiâ natus, sacro Baptismate lotus est, & tantâ quidem vitæ morum-que in melius commutatione, vt quidam è famulatu eius seruus ad Christianam religionem animum protinus adiecerit; eiusque parens postmodum è patriâ scripserit, adolescentis matrem septuagenariam, cum omni familiâ imaginem Seruatoris nostri adorare, summoq; desiderio sacri Baptismi fontem exoptare. Auctoritas nostra apud Mandarinos, eadem quæ præteritis annis, incõcussa manet. Anno M. DC. VII. in Christianorum numerum CXLII. relati sunt: fructus id est missionis à R. P. Gaspare Fernandes, locis circumiectis obitæ, cuius successus epistolâ hac sequenti, ab eodem ad me datâ exponitur. Intelliget R. V. anno M. DC. V. in regiones Pachino conterminas appulisse; qui in loco septem à terrâ miliaribus distito, incolis verò & habitationibus frequentissimo (cui à sancto Clemente nomen imposuerat, quod eius Festo primùm eò ingressus esset) decem Christiano nomine insignitos, & ritu Catholico instructos reliquit. Anno verò sequenti in alium locum (cui nomen

nomen ab omnibus Sanctis indiderat) euocatus est: hîc vnum inter omnes septuagenarium senem Catholicû cuiusdam è nostris discipulis parentem inuenit; cuius beneficio aliquando fore speramus, vt gentes illæ fallacibus improborum hominum sermonibus in laqueos erroris inductæ, fœdissimis opinionibus extricentur. Hîc, etsi ex tantâ multitudine quindecim solûm Christo lucrifecerit, tantum tamen eius exhortatio in eorum mentibus reliquit aculeum, vt paucis post diebus idem Matthæus Riccius ad messem sit reuocatus; qui cum maximis occupationibus implicatus, eò reuerti non posset, ego & Frater Antonius Leitan in aliâ missione P. de Pontoya comes, hoc eius munere perfuncti sumus.

Nobis itaque in insulam Sanctorum omnium (quæ habitationis ordinariæ nobis loco est) properantibus, iamque vicinis, procedit ecce obuiam ex propinquo quodam loco frequentissima Ethnicorum multitudo, ducem nacta Catholicum, quæ ridibundo vultu, manibus in equorum franos iniectis, ex equo descendere hortabantur. Qua-

cumque incedebamus, faustis acclamationibus omnia personabant; omnes redundantem ac foras erumpere gestientem lætitiã, ore, oculis, manibus indicabant. Omnium in nos figebatur obtutus, omnes legibus diuinis erudiri, instrui præceptis anhelebant, cumulateque totam religionem, cuius tamquam semina ab illo doctore suo perceperant, intelligere gestiebant. Tandem verò, vix datã de reditu nostro ad illos fide, digressi sumus, & cœptum iter profecuti. At quantum Terræ omnium Sanctorum erga nos studium, quæ voluntas fuerit, tunc apertissimè cognoscere potuimus, cum nostro in urbem ingressu, tantus ad nos omnium ætatum atque ordinum concursus factus est, tanta effusa omnis generis multitudo, vt ipsa ciuitatis mœnia (si natura pateretur) non Catholicis, sed Religiosissimo Præsuli, obuiam procedere velle videretur. Excepit nos amplissima & instructissima rebus omnibus necessariis aula, iisque qui ad concionem confluxerant percommoda. Accesserunt ad nos omnis ætatis & ordinis homines, qui salutem nobis

nobis summã beneuolentiã ac affectu impertiti sunt; aded vt ne mulieres quidem hoc officij genere viris suis inferiores videri voluerint: omnes enim sub imperio nobilis matronæ, cui velut præfectæ dicto audientes erant, cuique ex munere proprio incumbabat singulas ad concionem & lectionem Catechisticam conuocare, idolorumque statuas in vnum congerere, congestas ante Seruatoris nostri imaginem flammis iniicere, ad honorem nobis exhibendum conuenerunt. Quibus omnibus pro gentis consuetudine peractis, imaginem Seruatoris nostri, sub byssino tentorio, in summã aulã, cunctis venerãdam proposuimus, cui magno pietatis affectu omnes sese submiserunt, & venerationem debitam præstiterunt. Cum aduentus nostri fama percrebuisset, & in ore ac sermone vicinarum gentiũ cœpisset esse, ingens subito ad nos omnium concursus factus est; in quibus erudiendis, omni studio enisum sumus, ne nocturnã quidem quiete diurnos labores relaxante. Neque absque diuini Numinis prouidentiã factum est, quod ex continuis maximisque labo-

laboribus, in nullam inualetudinem inciderimus.

Varios doctrinæ Christianæ libellos in vulgus sparsimus, vt illi qui Christianam fidem meditarentur, diligentius eius præceptis hauriendis vacarent; & si aliquid quod eorum animos suspensos redderet, inter lectionem occurreret, palàm illud postea proponere possent. Tantâ porro sollicitudine ac diligentia, de rebus ad victum necessariis prospiciebant (quamuis frequentius à nobis dictum seridè esset, non admittenda ea, quæcumque ab iis afferrentur) vt hospiti nostro omninè culinæ apparatu sæpius interdixerint, vnde, necessitate quadam & piâ fraude compulsî, oblata ab iis esculenta reciperemus. Vacabam ego prouectioribus matronis, & coniugatis mulieribus doctrinâ Christianâ & orandi methodo imbuendis: Frater verò viris & exercitatoribus in Christianâ fide iuuenibus, maioribus virginibus & puellis erudiendis. Tantâ aures animosque audientium voluptate compleuimus, vt repudiatis omnibus vanis, & inanibus cogitationibus, non
alia

alia quàm de Deo, Religione Catholica, diuinisque eius mysteriis colloquia miscerentur.

Atque adè, qui à vanis idolorum cultoribus nullo rationum pondere demoueri posse videbantur, præcepta Catholicæ fidei receperunt, & eius sese ritibus instituendos tradiderunt. Non desunt in hisce locis improbi & scelerati homines, qui opinionum suarum venena, per omnes Chinensis ditionis populos fidentiùs atque audaciùs disperferunt. Illi, cum aliquot ex suis errores abiurasse, nostræque Religioni sese adiunxisse, animaduertent; ne plures horum exemplo, & veritatis robore, cuius splendor, veluti sol exoriens nubium caliginem, ita umbras veterum superstitionum dissipat, permouerentur, maiorque fieret ad partes nostras accessio; non minùs stolido quàm ridiculo commento, magis ac magis indies destruxerunt, quod instaurare perniciosè intēdebant. Siquidem Seruatoris imaginem quàm religiosè colendam proponebamus, parentis mei iam vitâ functi effigiem esse inter suos iactitabant, quo figmento paren-

parētum meorum diuinitatem in omnium animis excitare conarer. Nunc, doctrinam nostram velut barbaram & peregrinam, canum lunam allatrātium instar, arrodebant: nunc tamquam planè Chinarum moribus aduersarium, reprehendebant, quòd cum feminis colloquia misceremus; nec sine impudenti mendacio suis persuadebāt, sacro fonte ablutorum faciem, à nobis variis coloribus & pigmentis deformari. Sed hæc falsæ criminationis & calumniæ tela, quæ ab aduersariis coniiiciebantur, leuiora atque hebetiora, quàm quæ retorqueri deberent, arbitrati sumus; quæ etiam in iaculātium capita sponte sese receperunt, vel certè statim debilia conciderunt. Quidam est inter maiores Mandarinos Pachinensium, cuius nutu ac imperio, octo regionis amplissimæ ciuitates, omnium copiarum genere abundantes, administrantur. Hic, quòd magnâ diuersarum sectarum quasi contagione quadam paulatim serpentium diuersitate, incultæ multitudinis animi distraherentur, iniquissimè ferens, publico eoque se uero edicto omnes concionatores, è
fini-

finibus suis in exilium propulsauit; ex quo certè factum, ut quamuis aduersarij consuetam in nos maledicentiam minimè refrenarent, supercilium tamen aliquantum deprimerent.

Cùm frequens esset rumor, nos ad Mandarinum deferendos, ac nouus quotidie ignis atque inuidiæ flamma religioni nostræ subiiceretur, nosque communi edicto comprehensos esse prætenderēt, maioris periculi malique declinandi causâ, laboribus nostris tantisper supersedendum duximus, & minoribus opinione collectis fructibus discessimus: ita tamen ut breui ad maturam vberimamque messem, nullis barbarorum hominum edictis obstrepentibus, colligendam nos redituros speremus. Ex Terrâ Sanctorum omnium ad regionem, cui nomen ab Assumptione B. Virginis fuit impostum, peruenimus, quòd eo in loco sacellum, hoc sacro titulo insigne, à nobis fuerit excitatum. Ingredientibus, ciuium omnium occurfus, ceteraque quæ in Sanctorum omnium nobis acciderunt, vltro delata sunt, præterquam quòd nullus in vitâ ac mores nostros
con-

contumeliam dixerit. Inter ceteros loci proceres, virosque omni humanitate politos, excelluit quidam militum Mandarinus, seu ductor exercitus: cui cum religionis Catholicæ principia, eiusque utilitatem, præstantiam, ac pulchritudinem diligenter proposuissemus, quod muliercularum illecebris implicatus esset, numquam eò perducì potuit, ut ceteris repudiatis, vni dumtaxat sese obligaret. In hoc igitur tractu exilis angustique soli, cxlii. in Christianorum album nomen suum retulerunt. Dum hæc à nobis geruntur, ex aliis partibus frequentes ad nos aduentarunt legati, qui totius gentis nomine, quotidianis precibus instare non destiterunt, ut ad illos deflecteremus. Quibus cum à nobis responsum esset, nihil opus esse ut ad nos deinceps reuerterentur; diemque aduentus nostri illis indicassemus, ut omnis differendi occasio tolleretur, imaginem Seruatoris obsidem sibi dari flagitarunt. Die constituto, ad primam auroram, quatuor ex primariis nobis præstò fuerunt, qui preces & ciuitatis vota denuò proposuerunt, quibuscum iter adornauimus, nosque

nosque in viam dedimus. In aduentu nostro omnes lætitiâ exultabant, & maximo videndi desiderio incensi, ad nos vndique confluebant. Didascalium cum suis potissimum scholaribus, nobis obsequium suum detulerunt. Maior hinc in concionibus hominum concursus fuit quam alibi: id hoc solo argumento colligere possumus, quod nihil spatij nobis, cibo somnoque capiendo, relinqueretur. Hinc quamuis primo Euangelicorum retium iactu quindecim tantum concluderimus, & ex turbulento illo falsarum opinionum oceano extraxerimus; res tamen eo loco sunt, ut maximam conuertendorum hominum copiam, prouentu maximo nobis polliceamur: inter quos conclusuros nos speramus, in litteris politioribus versatissimum iuuenem, & ad persuadendum efficacissimum. Frequentissime verò, populo S. Clementis, ut ad illos diuerteremur instati, iustis adducti causis reuendum ducebamus: illi tamè quo nobis faciliùs persuaderent, & in vota sua pertraherent, quatuor nos senum venerabilium & catechumenorum munere donarunt, qui suum, suorum,

rum, ac parentum omnium, ad religionem Catholicam propensum spondebant animum, & sese curas, vigilias, diligentiam, cogitationesque ad aliorum conuersionem promouendam esse impensuros.

Hic primùm in eruditissimi & primarij viri familiaritatem nos insinuauimus, eiq; P. Matthei libros & scripta communicauimus, & Catechismum, quem summo maximoque in religionem nostram affectu excepit. Hic per duos menses commorati sumus; ita tamen, vt si per annum integrum his instruendis numquam non vacare licuisset, vtilissimam operam nostram collocassemus. Huius gregis Christiani curam, & velut gubernaculi munus, tribus prouectioribus, & in oratione feruentioribus imposuimus. Deinde singulis hisce locis delectu habito, constitutus est vnus, qui ceteris Catholicis exemplo, verbo, & virtutum exercitio præiret; qui baptizandorum, & puerorum ex fidelibus parentibus genitorum nomina in Catalogum referret; qui imaginem Saluatoris diligenter curaret, & Festis diebus, ad sacellum

cellum orationis causâ omnes conuocaret, & de omnibus Patrem per litteras certiore faceret, instauraretque velut Societatem: cui præter alia pia exercitia, peregrinis Christianis hospitium præbere incumberet; & vt Catholici ætiori charitatis vinculo coniuncti essent, iuberet ex omnibus vicinis regionibus, Christianos octies singulis annis, in templum Sanctorum omnium conuenire, idque potissimùm Feriâ sextâ in Parasceue, ipsoque Anuntiationis festo. Iucundissimum sanè videre erat, quanto charitatis affectu peregrinos hospites tectis & copiis suis sustentarent. Hanc in templum conueniendi consuetudinem etiam muliebris sexus assumpsit; cui tamen, quod honestas & ratio postularer, diuersus à me assignatus fuit dies, quo simul conueniret. Adiunximus his duos octuagenarios senes, quorum operâ in rebus dubiis ad religionem Catholicam pertinentibus vterentur. Tanto autem tamque incredibili mœrore atque luctu animos omnium mentesq; discessus noster perturbauit, ac si multorum annorum inter nos
vsus

vsus familiaritasque intercessisset. Inde terram quæ ab Assumptione diuæ Virginis nomen sortita est, petiuimus, ubi nos duorum dierum mora necessaria detinuit, quòd hi Christiani Catholicos omnium Sanctorum vellent æmulari, & damna refarcire, quæ in primo meo ad illos aduentu incurrisse videbantur: utque palàm hostibus Religionis testarentur, longè ardentiori amore, & sincero magis affectu, à se Euangelij præconem diligi amarique, quàm illi suos Bonzios, & Pagodum cultores (quorum omne studium locupletes & opulentos argento emungere, pauperes & inopes reiicere atque aspernari) colant & venerentur.

Quin etiam sese loci alterius Catholicis adiunxerunt, ut per illam ad alios accessionem, & religionis & pietatis fieret in omnium animis incrementum. Hic duos Catholicam religionem instructos, rituum Baptismi peritiores reliquimus, qui necessitate postulante, infantes sacramentum aquam expiare possent. Discedentem me Catholici omnes circumfuso agmine comitati sunt; qui, si per me licuisset, Pachinum vsque fuissent

sent persecuti. Pænè hic mihi exciderat, de re, non minùs narratu iucundam quàm Deo honorificam, Reuerentiam vestram certiore facere. Intellexisti aliàs vsum ac rationem peregrinationum huius gentis, ad primaria præcipuaque Pagodum templa; in quibus quælibet gens, etiam alienigenæ, suum habeat velut sacrum Quæstorem, cuius interest in victum & subsidium peregrinantium ab omni plebe & vniuersa ciuitate stipem corrogare, ut exteri hi communibus omnium facultatibus subleuentur. Illi solemnè pompam, maximoque omnium ornamentorum apparatu ingrediuntur: ingens moles chartacea ad similitudinem templi, quod visitatum veniunt, artificiosè confuta, curru inuehitur, cum egregiam symphoniã, festoque tympanorum ac tubarum sono.

Vbi iam peregrinantium copiosa multitudo, in locum, in quo degebam, aduentasset, & de more Quæstor nummos corrasurus vias omnes percurrisset, neque Paganorum quisquam aut Christianorum quidquam suppeditasset, & illi facultates deessent, quæ tantam mul-

multitudini hospitio excipiendæ pares essent & sufficientes, omnes eò vnde venerant, reuerti iussit, hac excusatione vsus, quòd ciues sui curam deorum, & Pagodum cultum venerationemque abiecissent, iam legem & religionem Christianam sectarentur. Quo audito omnes iracundiâ & stomacho exarserunt, & vsque eò commoti sunt, vt sine vllâ dubitatione insanire omnibus ac furere viderentur: tandemque non sine minis, & barbaro atque immani terrore verborum, discesserunt. Quæstor irâ atque odio inflammatus, multa nobis sese intentaturum esse minabatur. Sed hîc maiori vi, terrifica illa diuini Numinis manus, malignas hominum mentes retudit. Lentus enim, & omnem fallens medicorum industriam morbus, vires eius, & vxoris, & filij, ita paulatim attriuit ac labefactauit, vt nemo de præseni vindictâ dubitaret.

Nec minùs in altero blasphemio homine, maximoque religionis Christianæ osore, diuina iustitia innotuit, quem in pœnam sceleratæ audaciæ subita eaque inaudita cæcitas inuasit; hic cum oculos in terram deprimeret, nihil pla-

nè

nè poterat intueri: cum sursum eos in cælum attolleret, clarissimè cuncta suspiciebat: vt non obscure quilibet intelligeret, non aliunde quàm ex alto, & cælorum auctore, salutem illi sperandam esse. Vbi tandem excæcato constaret, illam oculorum iacturam indubitam esse diuini Numinis in se animaduersionem, cæcitatem & mentis tenebras discussit, & ad gregem Christianum accessurum se spondit, si modò oculorum luminisque vsuram recuperaret; nec vota irrita spem eius fefellerunt. Mira dictu visuque res, protinus oculorum euanescent tenebræ, caligo discutitur, & in omnem partem intuetur. Postea propositi sui immemorem eadem cæcitas occupauit. Quæ omnia, cum se sacris vndis offerret ablendum, nobis ipse significauit, & iam vitam homine Christiano dignissimam ducit. Huius adolescentis alia quædam affinis Christiana, cum cõiugem suum carceris tenebris & squallore detentum, in Chinas visitatum iret; contigit illam à quadam muliere, veteri sibi familiaritate notâ, hospitio excipi. Hæc lōgissimas noctes sæpiùs ante Pagodis

I

sui

fui statuat pronam quàm ardentissimas fundere preces solebat, cumque mulierem alteram ad orationis votorumque suscipiendorum societatem excitare tentasset, protinus repulsam passa est, quòd Christianis seuerè diceret interdictum esse, dæmonibus cultum eamque venerationem deferre, quæ soli Deo rerum omnium auctori & moderatori debetur. Alia etiam de lege divina, tanto rerum & verborum pondere, ab eâ dicta sunt, vt nouem integræ familiæ sese Christianorum numero associarint. Hi sunt fructus, mi Pater, feminis illis locis iacti à R. Patre de Pantoya: qui quamuis ipse paucos admodum sacro fonte ablutos ad S. matris Ecclesiæ gremium traduxerit, plurimos tamen ad religionem suscipiendam optimè comparatos atque instructos reliquit. Hucusque P. Gaspar Fernandes. Hactenus verò non licuit nobis ex familiâ nostrâ aliquos ablegare, certi aliquid exploraturos, de populo illo Catholico, cuius superius meminimus in prouinciis de Honan, & Xanti. Traduntur tamen omnia litteris hominum priuatorum. Conabimur

mur etiam, Deo fauente, quàm fieri poterit celerrimè, certi aliquid intelligere.

Frater Benedictus Goës, quem nostri in Indiâ moderatores abhinc sex annis, per iter Mogarense ad terras Cataio indagandas ablegarunt, in ipsis Chinarum faucibus, prouincia Xanti, degit: ex quâ superiori Quadragesimâ anni M. DC. VI. Patribus in Pachino agentibus per litteras significauit, non alias à se regiones in Cataio esse inuentas, quàm regnum illud in quo degeret. Literis eisdem reditum in Pachinum sese meditari, addebat; quòd socij quibuscum in illam regionem profectus erat, pro more loci, per biennium ibidem essent moraturi. Patres statim, Fratrem, quatuor mensium necessariâ annonâ instructum, ad illum amandauerunt. Iam ferè annus elapsus est, cum ille à nobis discessit; nec quidquam tamen de eo, ne per rumorem quidem tenuissimum, ad nos delatū est. Litteræ Benedicti per Indiam transmissæ sunt: vnde nō dubito, quin R. Patres illi liberaliùs & copiosiùs de rebus in illâ prouinciâ gestis R. P. V^{am} sint certiores facturi.

facturi. Patres qui in Scianchæo, beneficio cuiusdam Tauli, siue Gubernatoris, cadaver Fratris Francisci Martinez nacti sunt; quod & Macaum destinarunt, quando ibidem maior sepulturæ mandandi detur commoditas. Duo Mandarini illi, quorum auctoritate & imperio ita malè habitus ac vexatus erat, muneribus & dignitatibus suis exuti sunt; toti que curiæ atrox & immane facinus illorum visum est, eo que magis illud execrati sunt, cum illum nostræ Societatis hominem esse perceperunt. Intelleximus hîc Nanciani P. Ioannem Suares diem ultimum obiisse; ex cuius morte, patentem quidem mœrendi excursus nacti sumus, lacrymas tamen doloris & mœstitiæ indices, serenâ fronte castigandas duximus, quod Chineses minima etiam doloris argumenta professionem nostram dedecere arbitrentur. Amici tamen priuatim lugubri veste induti, remotis arbitris, nobis condolere voluerunt; qui eo loco, in quo P. de rebus ad religionem spectantibus colloqui familiariterque differere solebat, tumulum composuerunt, & more lugentium genua

genua quater flexerunt, totiesque monumentum capite pulsarunt.

Nec ex ipsis quidem Paganis desiderati sunt, qui tanti Patris iacturam atque detrimentum summum esse predicarent. Quod autem princeps esset, auctor & parens Christianorum in hoc oppido; æquum mihi visum est, in eius memoriam communi ritu semel diuina mysteria celebrare, quando sacellum ob angustias suas magnum exequiatum apparatus admittere non valeret. de superiori loco ad concionem dixi; ita tamen, vt de industriâ ab omni verborum rerumque motu me continerem. Nihilominus tamen lacrymis omnium oculi madebant, vndique omnia suspiriis, gemitibus, lamentationibusque circumsonabant, perinde ac si parentum suorum cadauera deplorassent. Nonnulli atrâ veste induti, aliquo tempore incesserunt; cumque causam tanti mœroris interrogarentur, respondere; luctum istum defuncto paræti & magistro deberi. Illi qui rei diuinæ & exequiis nō interfuerant, sæpius in eius gratiam Rosariola Virgini Matri adnumeratū venerunt, magnâ

magnâ lacrymarum vi, ingentiq̄ue religione perfusi, cereosq̄ue etiam in eius funere accenderunt.

Vir quidam, cui eodem tempore mors filium lectissimum adolescentem eripuerat, tam constanti serenoq̄ue vultu filij sui obitum tulit, ac si dura filix aut Marpesia cautes cōstitisset: cū verò Patris nostri iam defuncti mentio incidisset, incredibili subitò ægritudine eius obstupefactus est animus, vox ipsa pectore ac faucebus interclusa exitum reperire non poterat. Eumdem & aliorum omnium affectum sequens probavit euentus. XI. die Octob. anno M. DC. VII. infideles octo, criminalium rerum Iudici, (Gancasu nomen erat) pestilentem ac criminofum de nobis libellum obtulerunt, quo maximè in nos, tamquam falsæ religionis cultores, inuehebantur. Illud præterea obiiciebant, habere nos amplas & ingentes domos, quò faciliùs armatum militem contineremus, vt regnùm pulcherrimum & ornatissimum aliquando inuaderemus. Sed omnia hæc falsæ criminationis tela, ipse Iudex vt leuissima retudit: qui accusatione auditâ, re-

spon-

spondit, nos sibi iam pridem notos & pacis & tranquillitatis fautores esse, nec illorum de veritate aut falsitate religionis quam vulgabamus esse iudicare: domos nostros non illorum subesse tutelæ & auctoritati; cumq̄ue illi crebriùs oblatrarent, omnes grauissimis & asperrimis verbis exceptos amandauit. Conati sunt postmodum infamem repulsam resarcire, iactando passim quòd treceti simul ad Iudicum subsellia protraherentur, suorumq̄ue vitiorum accusarentur. sed hucusque nihil ipso rumore fortius fuit. Cùm verò ij, qui omnia diuina & humana vexare, violare, perturbare, & euertere conabantur, læti atque erecti passim toto foro volitarent; iucundissimū erat, Christianorum in Deum charitatem, in nos benevolentiam cognoscere. Visitabant nos alij, hortabanturq̄ue ad constantiam & immotum animum conseruandum. Alij verò vt Catholicæ fidei auctoritatem sanctam atque inuiolatam præstarent, nullam sibi difficultatem pertimescendam, nullum periculum detractandum, nullam dimissionem refugiendam putarunt. Hi

I 4

furi-

furibundam accusatoris mentem, à periculis nostris sese propulsaturos, & laboranti Christianæ Reip. grauiissimisq; temporū casibus proiectæ, spem, auxilium, salutem se laturos esse promittebant. Nec deerant qui Christianorum familias adirent, & ad liberam Religionis Christianæ professionem magis inflammarent; & vt verbo absoluam, summo nobis omnibus solatio fuit, omnium animus in retinendâ ac propagandâ fide promptissimus: ex quo fit, vt illorum constantiam in periculorum magnitudine, & calamitatum concursu, meritò nobis possimus polliceri. Maximas tamen procellas & inuidiæ tempestates nobis post iterum excitarunt calūniatores; cū enim causa scelerati istius libelli, voluntas nefaria, & capitale maleuolorum in nos odium extiterit, facillimè potuerūt defessam & refrigeratam inuidiam nouâ sceleris flammâ excitare. Huc accedit quòd postremò ad manus meas peruenerit exemplar nouæ cuiusdam in nos confictæ criminationis, quo illi iunctis animorum fraudibus exitium nobis omnibus machinantur. Confidimus tamen

tamen fore, vt hæc maleuolorum machinamenta, aliquando ad maiorem Dei gloriam, & Christianorū omnium utilitatem conuertantur. Nos Christianorum in hisce locis progressum, fructumque, R. P. V. & PP. omniū sacrificiis & Fratrum precibus & orationibus commendamus, vt nouellæ illæ ac teneræ nuper in horto Christi consitæ plantæ copiosis cælestium munerum imbribus irrigentur. Hic sanctam R. P. V. benedictionem nobis concludendo dari expetimus. E Chinâ, xv. Kalendar. Nou. anno M. DC. VII.

F I N I S.

Has Litteras Iaponicas & Chineses vidit & approbavit xxxi. Augusti, anno M. DC. xi.

Egbertus Spitholdius Plebanus
librorum Censor.

SVMMA PRIVILEGII.

ALBERTI & ISABELLAE CLARAE
EVGENIAE, Archiducum Austriae,
Ducum Burgundiae, Brabantiae, &c. Serenissi-
morum Belgicae Principum, Privilegio cautum
est; nequis *Litteras Japonicas anni M. DC. VI.*
& *Chinenses anni M. DC. VI. & VII. à R^{di}*
Patribus Ioanne Rodriguez & Matthao Ricci
Societatis IESV Sacerdotibus transmissas ad
admodum R. P. Claudium Aquavivam eiusdem
Societatis Praepositum Generalem, praeter Mar-
tinæ Plantinæ viduæ & Balthasaris & Ioannis
filiorum Ioannis Moreti p. m. voluntatem in-
tra sexennium excudat, aut alibi excusas, in
Inferioris Germaniæ ditones venales impor-
ret. Qui secus faxit, confiscatione librorum,
& aliâ gravi pœnâ mulctabitur, uti latius pa-
ret in litteris datis Bruxellæ, xxix. Aprilis,
M. DC. XI.

Signat.

Buschere.




...de los Rector, si asi lo pido
15. Mas porque no se juzga
Beneficiados, para atribuirle el
solo en dichos, y razones de
en oro testimonio, de los que
sea uno el Capitulo de Reglas
que se halla al folio 21. bueltas
item, ordenamos, que qualquier
pese, para dar algun Sacram
quier tiempo, que viene al oficio
Bergero se excusare por lo sobredicho
fagan un aron, e si la obra no se
marredis para el futuro. Estas Re
oras mas antiguas) las apud
re de junio de 4387. y cambie
de ellas, y ultimamente se re
Senor Don Leopoldo de Austria
- Pio carnal del Señor Carlos Q

C 2



el testamento de Don ...
en decretos, Protonotario
tre Escuela, y Canonigo
Ciudad, Fundador del
gado ante Martin Gome
vno de Junio de 1441
digno de leerle) entre
pellanias, y en el nomb
ro de una de ellas dice asi: ibi:
dichas pliguere de tomar a su car-
go, e cantar los Clerigos de
la Iglesia de San Pedro, que ge la
decir en el dicho Hospital cada un
dio Missa, mandamos, que
sa de San Tiago de esta
los Sacramentos a los P
los deben dar.
18. Esta fundacion
vn años, y es posterior
obre dicha Regla de la Univer
dad, en la expresion re
Beneficiados eran cono
con el nombre de Clerigos, co-

mo





Annuaire
Litteraire
Soc. les.
Jappon
an. 1606
et Chine
1606, et
1607.
23